

B

Phil. Vet. A. 133.

Philosophi

291.



Philos. Gr. A. 54

FELICITER!

2  
820.

JOHANNIS ZEISOLDI,

Phys. in Alma Salana Prof. Publ. Honorarii  
celebratissimi

DISPUTATIONUM

De

Aristotelis cum Scriptura S. in illis,  
quæ ex lumine Naturæ innotescunt,

CONSENSU ab eaque  
DISSENSU,

SECUNDA,

De

Attributis seu Prædicatis DEI Qualitativis,

Quam

PRÆSIDE

*Pl. Reverendo, Amplissimo, Excellentissimo atq; Praclarissimo*

DN. CAROLO CAFFA, SS. Theol. Doct. &

Ling. Ital. & Gall. Prof. P. famigeratissimo,

*Dominò Patronò atq; Præceptore suo sempiterno honoris ac observantia  
cultu sanctè devenerando,*

*Benivolæ Eruditorum Discussioni publicè subjeciet*

JOHANNES DANIEL TRIBBENIUS,

Elmshorniâ-Holsatus.

*Ad d. Julii.*

*A.O.R. d. 13 c LXV. Horis locoque consvetis.*

JENÆ

Literis NISIANIS,



VIRIS  
VENERABILI AUCTORITATE,  
VIRTUTIS NOBILITATE, AMPLITVDINIS  
CLARITATE, CONSILII DEXTERITATE, JUDICII  
GRAVITATE, JUSTITIÆ SINCERITATE  
SPLENDIDISSIMIS,  
DOMINIS  
**CONSULIBUS,**  
CAMERACENSIBUS, SE-  
NATORIBUS,  
INCLUTÆ CIVITATIS HAL-  
LENSLEBIENSIS DIRECTORIBUS  
PRUDENTISSIMIS,  
MECOENATIBUS AC PROMOTO-  
RIBUS SUIIS MAGNIS.

Edecumatam salutem cum promptissima debitæ  
observantiæ oblatione.

Quantum Vobis, Viri Amplissimi, Consultissimi, tenuitas debeat  
 mea, ingratisimus sim, nisi jugiter memoria habeam infixissi-  
 mum, ingratisimus sim, nisi impraesentiarum commemorem, mo-  
 dō non angustia chartae tantum non reluctantem Angerona lita-  
 re juberet. Dudum proinde cogitatum cum mihi sit, quā fronte tandem  
 animi gratitudinem representarem, ecce Vir Excellentissimus, Dn. Zeisol-  
 dus, Praeceptor noster perpetim suspiciendus, consensum Philosophi cum  
 Scriptura S. sub disputationum incudem revocaturus, mihi adsignavit se-  
 cundam, quam nunc Vestris, Patres Conscripti, Nominibus sanè Clarissi-  
 mis inscripsi, inscriptam offerre volui, debui. Tenue equidem munus,  
 chartaceum, & indignissimum, quod vel munusculi nomen sustineat,  
 nisi singularis Vester affectus & benivolentia, quae nescio quid mihi non  
 subministrent fiducia, pretiū illi condixerint. Accipite ergo Viri Gravissi-  
 mi, Musarū Patroni Magni, levidense quidem munusculum, gratisima ta-  
 men mentis  $\pi\alpha\mu\eta\epsilon\lambda\omicron\nu$ , pro more, qui Vobis est sollemnisimus, meq̄, quem  
 haecenus in Vestris numerare dignati estis, numerare ne desistite. De  
 cætero Summus ille rerum arbiter Vos, Promotores Optimi, omnigenā  
 felicitate beet, beatosq̄, quā diutissimè rei & publicae & privatae con-  
 servet. Id quod  $\omicron\lambda\omicron\psi\acute{\upsilon}\chi\omega\varsigma$  vovet, exoptat, desiderat

Vestrarum Amplitudinum & Pruden-  
 tiarum

perenni - cultor devotissimus

JOHANN. DANIEL TRIBBENIUS.

*Eximio atque Politissimo*  
DN. JOH. DANIELI TRIBBENIO,  
SS. Theol. ac Philos. Cult. indefesso

*publicè disputaturo,*

FELICITER!

**D**Um rursus claram scandisque animasque  
Cathedram,

Ausûs egregios Gratia Dia juvet!

*Singulari benevolentia testanda*

*L M Q. adjiciebam*

Joh. Ernestus Gerhardus,

SS. Th. D. & Prof. Publ.

---

*Prestantissimo & Per-Eximio*

DN. JOHANNI DANIELI TRIBBENIO,  
de Attributis Dei naturaliter cognoscibilibus  
disputaturo S. plur.

**N**atura Librum Scripturae jungere Libro,  
Et alterum per alterum explicare perbene,  
Res doctâ meditatione digna est.

Faustæ & amicæ gratulationis er. posuit

Johannes Zeisoldus, Phys. Prof. Hono-  
rarius, Facult sua Senior, & p.t. Decan.

---

**M**ens alta alta sapit: TRIBBENI cura, relicta  
Terrâ, est, ut cœlum pennâ fugiente capebat!  
Est Deus ipsi in corde, Deo impellente calescit,  
Naturamque Dei discursu exponere gaudet.  
Hinc Deus ipse illum meritô maestabit honore.  
Namque Deo curæ est, ipsum qui curat, amatque.

*Pereximio D. Respondenti*

*ita congratulatur*

PRÆSES.

## Articulus II.

## De prædicatis Dei qualitativis.

## PUNCTUM I.

## I. DEI (Divinæ Essentiæ) Vnitas.

## §. I.

**D**icuntur aliàs *Idiomata* seu *proprietas*, item *Attributa Dei*, quòd ipsi speciali ratione attribuantur, seu de Deo affirmantur. Talia quoque *Idiomata* sive prædicata Deo tribuit Aristoteles non solùm in *lib. 12. Metaphysic.* verùm quoque in *lib. 8. Physic.* nec non in *lib. de Mundo per tot.* qui liber reverà est Aristotelis, ceu attestantur summi Viri, Jac. Martini in *Vernunftspiegel l. 1. ca. 62. p. 602.* Paulus Slevogt, in *Disput. Academic. 11. §. 12. p. 221.*

§. 2. Multa autem & varia sunt Dei attributa, ut etiam ulterius dividi, gestiant, quòd quædam eorum *absoluta* sint, quædam *respectiva*, &c. de quibus jam ordine.

§. 3. Quòd Deus unus sit, & non plures, (licèt sint plures unius essentiæ personæ) evidentissima Scripturæ S. testimonia monstrant. Illustre est dictum in *Deuter. c. 6. v. 4. audi Israël, Dominus Deus noster Dominus unus, יהוה אחד.* Conf. *Esaiæ 45. v. 4. & seq. ca. 46. v. 9. add. 1. Corinth. 8. v. 4. Ecclesiastic. c. 1. v. & ca. 36. v. 13.*

§. 4. Sed de Scriptura S. res certa est, & manifesta. De Aristot. dispiciemus. Is pluribus in locis unitatem Dei adstruit. *Lib. 8. Phys. t. 48. & 49.* ubi inter alia ita habet: *ικανόν δὲ καὶ εἶ ἐν, ὁ πρῶτον τῶν ἀκινήτων αἰδίων ἓν, ἐστὶ τῆς ἄλλοις ἀρχὴ κινήσεως. Φανερόν δὲ καὶ ἐκ τῶνδε ὅτι ἀνάγκη εἶναι ἓν καὶ αἰδίων τὸ πρῶτον κινῆν. h. e. Sufficiens autem est & unum;*  
D quod

quod cum primum immobilium sit, perpetuumve, ceteris erit principium motus, Ex hoc etiam patet, aliquid esse necessario unum perpetuumve, quod primo movet.

§. 5. Per primum autem movens non aliud Ens, non aliam Substantiam intelligit Aristoteles, præterquam Deum, ceu ex ipsius Philosophia notum est. Quando ergo primum movens unum esse affirmat, Deum unum statuit. Et prætereà alibi expressè Deum unum proclamat: sic lib. de Mund. ca. 7. initio: *Unus* (scil. Deus, quem toties antec. cap. 6. nominavit) *cum sit, pluribus nominibus appellatus est.* Et rursus alibi: *ἐν καὶ αἰδίου τὸ πρῶτον κινῆν*, quod *primum movens sit unum & æternum*, Philosophus ex eo probat, quod in iis, quæ ordine continentur, verum initium dari oporteat, in quo consistatur. Huc optimè quadrat, quod optimus Philosophus, postquam l. 12. *Metaph. ca. ult. in fin.* dixerat, *entia nolle malè gubernari*; statim subjungit elegantissimum Homeri versum, eòque librum finit: *ὄκ ἀγαθὸν πολυκραιγνίη εἰς κρίειν* &c. h. e. *non est bonum multorum imperium; unus sit Dominus.*

§. 6. Sed ecce! non solummodò Deum unum pronunciat Aristoteles, verùm quoque, *quomodo sit unus*, exponit. I. Est *unus numero* juxta Aristotelem. d. lib. 12. *Metaph. c. 8. t. 49.* *Unum ergo & ratione & numero* (καὶ λόγῳ καὶ ἀριθμῶ) *primum movens immobile ens est.* Consentit hoc de professo tam Theologorum, quàm Philosophorum Scholis. Nimirum primum Ens, primumque movens à cæteris omnibus entibus & ratione & naturâ est independens; ab illo verò cætera dependent, & in suo esse, & in suis rationibus. Quod Ens nullum est aliud, quàm solus & unus Deus, qui solus efficit, ut qualibet res sit una-  
nume-



numerò. II. Deus Aristoteli est *maximè unus*. ὡς δ' ἐν  
 ἄν εἴη πρῶτον τὸ ταῖς ἑστίαις ἄπλον ἔ ἐνός, h. e. *quocirca id, quod*  
*aliis rebus dedit, ut unaquæq; una sit, illud maximè est u-*  
*num*; Subsumas jam de Deo, & inferas: Er. Deus maxi-  
 mè est unus. III. Deus Aristoteli est *simplicissimè unus*,  
 patet hoc ex summa Dei simplicitate, quam de ipso sta-  
 tuit Aristoteles.

## PUNCTUM II.

## II. Dei (Essentia Divinae) Simplicitas.

§. 1. Hoc attributum expressè in Sacris SS. non ha-  
 betur, sed virtute in illis delitescit, & inde eruendum ve-  
 nit. Estque notatu quàm dignissimum, quòd non solùm  
 apud Aristot. quædam Divinorum prædicatorum actu &  
 expressè non inveniuntur, verùm quoque in ipsis Scri-  
 pturis Sacris. Sic prædicatum *Spiritus* non invenitur ex-  
 pressè positum in Aristotele, ex illo tamen probatur, &  
 ex hoc ipso quidem Dei attributo, nimirum ex ejus *sim-*  
*plicitate*. Et vicissim, *simplicitatis* attributum non extat  
 expressum in Scripturis; probatur autem ex illis, assu-  
 mendo prædicatum *Spiritus*. Efficitur enim inde propo-  
 sitio convertibilis: *quodcunq; Ens est spirituale, illud est*  
*simplex sive simplicis natura, & vicissim, quodcunq; Ens est*  
*simplex, illud est spirituale, sive Spiritus*.

§. 2. Apud Aristot. verò expressis illud habetur ver-  
 bis. Lib. 12. *Metaph. c. 7. t. 37.* νοητὸν δὲ ἡ ἐτέρα συσχεῖα καθ'  
 αὐτὴν. καὶ ταύτης ἡ ἐστία πρῶτη, καὶ ταύτης ἡ ἀπλῶς, καὶ κατ' ἐνέρ-  
 χειαν. h. e. *Intelligibile, alter ordo est, qui per se ipsum est:*  
*ἔ hujus substantia prima, atq; hujusce. que simpliciter ἔ se-*  
*cundum actum est.* Accedat quoque illustrissimus locus

*l. 7. Ethic. Nicom. ca. ult. ubi sic: ἐπεὶ εἴ ἔστι ἡ φύσις ἀπλή ἐστὶ αἰεὶ ἢ αὐτὴ πράξις ἡδίστη ἔσται, διὸ ὁ θεὸς αἰεὶ μίαν ἢ ἀπλήν χαίρει ἡδονήν. Sic cujus natura simplex sit, eadem actio semper erit jucundissima. Itaq; semper unâ ἔστω simplici voluptate Deus (utpote, qui natura simplex est) potitur. Conf. & sequentia.*

§. 3. Quia verò uti dixi, hoc Dei attributum in Scripturis actu & expressè non invenitur, illud inde deducendum, & de Deo ostendendum est. Optimum autem & efficacissimum argumentum sumitur à spiritualitate Dei. Quia enim Deus, uti Scriptura S. docet, Spiritus (vel quod idem, spiritualis essentia) est, ideò simplex est. Talis enim essentia non potest non esse simplex.

§. 4. Notet II. quòd Deus non, in quantum spiritus, omni simplicitatis gradu simplex est; sunt enim & Angeli simplices, non tamen omni, sed suo definitò sibi-que competente modò simplices. Simplicitas in Deo fuit probata, non verò summa ejus simplicitas, cujus omninò alia causa est, aliaque ratio, eam quæ svadeat, nimirum, quia Deus inter omnes substantias spirituales est suprema & nobilissima, ab omnì potentialitate remotissima & alienissima, 1. Spiritus spirituum est, Dominus omnium spirituum est; 2. perfectissimus est spiritus, vel, perfectissima est substantiarum spiritualium, omnes perfectiones spirituales in se continens & possidens, &c. Hinc h. m. datur argumentari: quæcunq; substantiarum spiritualium est nobilissima, perfectissima & actualissima, illa quoque substantia est simplicissima & purissima, purissimusque actus. Sed Essentia Divina, omnium concessione, est nobilissima, perfectissima & actualissima.

lissi-

lissima substantia ; Er. quoque est simplicissima & purissima, purissimus & simplicissimus actus.

§. 5. Imò Aristoteles quoque simplicitatem in Deo voluit esse summam. Id quod manifestè satis citati ex ipso monstrant loci, *l. 7. Ethicor. Nic. ca. ult. & l. 12. Metaph. ca. 7.* nec non *ca. 9.* ubi statuitur, in Deo non differre intellectum, intellectionem & intelligibile, scilic. primum, quod est Deus ipse, sed ista omnia unum idemque ens esse. Sit argumentum : quæcunq̄ue substantia immaterialis se ita habet, quòd in ipsa non differunt *νῆς, νοῦμενον & νόησις*, illa substantia simplicissima sit oportet. Sed Deus Aristoteli est talis substantia, &c. Er. &c. Vel sic : quodcunq̄ue ens Aristoteli est summum, perfectissimum & nobilissimū, summè & perfectissimè possidens omnes perfectiones possibles in genere entis, illud ens est simplicissimum Aristoteli. Sed Deus, juxta Aristotelem, est ens summum & perfectissimum, possidens omnes perfectiones possibles in genere Entis. Er. Deus est Ens simplicissimum.

§. 6. Hinc, quando Aristoteles negat, Deum esse compositum, non removet solùm compositionem essentialem Physicam, aut integram ; sed omnem realem, h. e. omnem eam, in qua extrema componibilia realiter inter se differunt. Quod autem tale Ens est, ut in ipsum nullus realis compositionis modus cadat, ipsum simplicissimum esse, quis dubitet ? Sed Deus, juxta Aristotelem, est tale Ens. Er. &c. Imò, juxta eundem, omnia in Deo sunt *παντὸς* ; Si enim in Deo (quantum ad propriam sui cognitionem) non differunt invicem secundùm rem Deus, ejusq̄ue intellectus ipsaq̄ue intellectio, sed sunt ipse

Deus, sive ipsa essentia Divina; neque aliæ, quæ in Deo, perfectiones sunt, ab ipso (vel etiam inter se) realiter differunt, sed sunt idem ipse Deus.

§. 7. Nunc ruminemus intimiùsque cogitemus Divinas istas perfectiones: (*δὲς καὶ τρεῖς τὸ καλόν*) In Deo, juxta Aristotelem, omnia sunt simplicia; simplex ejus intellectus, simplex intelligibile, Deus ipse; simplex intellectio ipsa, simplex cōjuncta voluptas Dei; omnia & singula ista una & simplex Dei sunt perfectio, una & simplex, imò simplicissima Dei Essentia. Sonet igitur resonetque nunc illud Aristotelicum: *πάντα ἐν τῷ Θεῷ ταυτό*. Conferantur è veteribus Thomas & Fonsec. in l. 12. *Metaph. ca. 7. & 9.* è recentioribus v. Ernestus Sohnerus ibid. & præpripriis Christian. Dreierus in *Sapient. seu Philos. Prim. Disp. 19.* per tot.

### PUNCTUM III.

#### III. Dei (Essentia Divina) *veritas*.

§. 1. Præterquam quòd Opera Divina testantur de Vero Deo, ejus siquidem Divinitas & Potentia per effecta (*ποιήματα*) ejus manifestata est, *Rom. ca. 1. v. 20.* clara de hoc Dei attributo in SS. Literis in promptu sunt testimonia, nim. *Jerem. ca. 10 v. 10. Dominus Deus יהוה veritas, Deus vivens.* Occurrit autem in prioribus verbis Ebraismus, de quo vid. Dn. Glass. *Philol. Sacr. lib. 3. can. 8. p. 28.* Videtur autem rectè verti *Deus verus*, vel, veri nominis, qui opponitur falsis, idolis nempe, quæ ibid. rejiciuntur. Ebræi benè explicant in Michlal Jophi, quorum verba Latinè reddita hanc gignunt sententiam: *ille est vivus verus Deus, qui vitam nulli fert acceptam, quam reliqua viventia omnia agnoscunt vitæ autorem.* Lutherus reddidit ein rechter (h. e. wahrer) Gott. §. 2. Si-

§. 2. Similis planè locus est 1. *Theffal. 1. v. 9.* πῶς ἐπέ-  
 σρέψατε πρὸς τὸν Θεὸν ἀπὸ τῶν εἰδώλων, δελεῖεν Θεῶ ζῶντι καὶ  
 αἰληθινῶ, h. e. *quomodo conversi fueritis ad Deum ab idolis,*  
*ut serviretis Deo vivo & vero.* Opponitur & hīc Deus ve-  
 rus Diis fictitiis; ab his averfi & conversi Theffalonicen-  
 ses, serviebant Deo vivo & vero. Huic enim soli servien-  
 dum; illa verò relinquenda sunt. Jungimus 1. *Epist. Jo-*  
*bann. 5. v. 10.* qui locus quamvis de Christo loquatur, (*fi-*  
*lius Dei dedit nobis mentem, ut cognoscamus illum, qui verus*  
*est*, τὸν αἰληθινὸν καὶ ἔσμεν ἐν τῷ αἰληθινῶ, ἐν τῷ υἱῷ αὐτῶ Ἰησοῦ  
 Χριστῶ. ἔτιός ἐστιν ὁ αἰληθινὸς Θεός, &c.) tamen veri Dei men-  
 tione alium non intelligit, (nec enim alius est) quàm  
 eum, quem nos hīc contemplamur, verbò; Creatorem  
 Cœli & Terræ.

§. 3. Sed quid hīc noster Philosophus? Expressè  
 quidem *verum Deum* non nominat; talia tamen de Deo  
 docet & proponit, quæ non nisi vero Deo competunt,  
 aut, quæ non nisi verum Deum arguunt & ostendunt, ceu  
 vel unicè ex *lib. de Mund. ca. 6. & 7.* videre est. Argumen-  
 tamur: quicumque Deus est 1. omnium rerum causa, 2.  
 Dominus Cœli & Terræ, 3. servator & assertor rerum à se  
 conditarum, 4. universum mundum regens & guber-  
 nans, 5. totiusque Universitatis incolumitatem conser-  
 vans, &c. ille est verus Deus in Scriptura S. nobis propo-  
 situs. Sed Deus, quem Aristoteles tum in Lib. de Mun-  
 do, tum in Libb. Metaphysicis describit, est 1. omnium  
 rerum causa, 2. Dominus Cœli & Terræ, 3. servator &  
 assertor rerum à se conditarum, 4. universum Mundum  
 regens & gubernans, 5. totiusque Universitatis incolu-  
 mitatem conservans, &c. Er. Deus ab Arist. descriptus est  
 verus Deus in Scriptura nobis propositus

§. 4.

§. 4. Imò Deus Aristoteli ita est verus, & Ens verum, ut quoque sit sua veritas, id quod 1. ex summa ejus simplicitate sequitur. Si enim est simplicissimus, ita ut sit suus intellectus, sua item intellectio, sua perfectio, sua voluptas, &c. erit quoque sua veritas. Neque 2. componi potest Deus ex sua essentia & veritate, tanquam ex subjecto & affectione, siquidem aliàs ejus indivisibilitas & summa simplicitas tollitur, imò evertitur. Si vetò hoc futurum, si hoc metuendum, omninò fatendum est, Deum non solùm verum esse Deum, sed ita verum, ut sua sit veritas. Est igitur juxta Aristotelem in Deo simplicissimè idē veritas & habens veritatem, sicut unitas & habens unitatem, vita & habens vitam, &c. & sic in cunctis Divinis.

§. 5. Et hæc Aristotelica de professo cōcordant cum illo Salvatoris; *Ego sum via, veritas & vita, &c.* Quæ omnia latiùs deduci poterant atque exponi. Quilibet hîc proprias suas intendat Meditationes, quas certè experietur dulcissimas & divinò nectare plenissimas.

## PUNCTUM IV.

IV. *Dei (Essentia Divina) bonitas & perfectio.*

§. 1. Notandum, dupliciter Deum dici bonum: 1. *entitativè*, sive ratione essentia, quomodo quidem omne Ens bonum est, ipsa etiam creatura; 2. *moraliter*, sive ratione voluntatis, quomodo aliquis bonus dicitur, qui benè operatur, vel benè operandi intentionem habet. Utroque quidem modò Deus bonus est; verùm posterius hoc in præsentiarum est in pertinens, cum de *bonitate essentia* (uti titulus habet) sit negotium.

§. 2. Hoc verò attributum Dei tum secundum literam  
ram

ram habetur in Scripturis, tùm per consequentiam ex illis elicitur. Primò quidem colligitur ex operibus atque effectis Dei, quæ non nisi bona sunt; *Genes. 1. v. 32. Marc. 7. v. 37. Ecclesiast. 39. v. 22.* sit syllogismus: Cujus opera sunt valdè bona, & qui nō nisi benè facit, quod facit, illum valdè, imò summè bonum esse oportet. Sed Dei opera sunt valdè bona, & ipse non nisi benè facit, quod facit. Er. &c. Accedat *Jacob. ca. 1. v. 17.* πᾶσα δόσις ἀγαθῆ, καὶ πᾶν δῶρημα τέλειον ἄνωγέν ἐστι, κατὰ βῆλον ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φῶτων. *Omnis donatio bona & omne donum perfectum è supernis est, descendens à Patre Luminum, &c.* Pullulat inde idem, quod modò proposuimus, argumentum.

§. 3. Porro huc facit, quòd Scriptura S. Deum nullius indigentem esse tradit, *Actor. 17. v. 25.* Integer textus ita habet: ἔδὲ ὑπὸ χειρῶν ἀνθρώπων θεραπεύεται, προσδεόμενος τινος, αὐτὸς δίδως πᾶσι ζωὴν καὶ πνοὴν καὶ πάντα. h. e. *Nec manibus humanis colitur (scilic. Deus) indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam & halitum per omnia.* Syllogismus prodit hic: quicumque nullius indiget, ipse verò supplet indigentiam aliarum rerum cunctarum, dans illis vitam & halitum, ille est essentialiter bonus & perfectus. Deus nullius indiget, (ἔ προσδεόμενος τινος) ipse verò aliarum rerum indigentiam supplet, dans illis vitam & halitum, vel, uti habetur *seq. vers. 28.* dat esse, vitam & motum. Er. Deus est essentialiter bonus & perfectus.

§. 4. Sed hoc clarissimè, & uno, quod dicitur, verbò proponitur à Salvatore *Matthæi ca. 19. v. 17.* ἔδεις ἀγαθὸς εἰ μὴ εἷς ὁ θεός, *nemo bonus, nisi unus Deus.* Imò hoc dictum inculcat nobis, Deum esse summè bonum. Nec enim aliâ ratione solus bonus dicitur, quàm quia eminentis-

E

simè

simè bonus & perfectus est. Nam creatura etiam sunt bonæ. Cuncta enim, quæ fecit Deus, valdè erant bona. Absolutè igitur loquendo, non solus Deus bonus est, sed quoque alia entia præter & post Deum; Comparando verò Deum cum creaturis, nemo est bonus, nisi Deus, utpote qui (1.) in se & à se bonus est, uti ex h. Scripturæ l. habetur; (2.) omnis bonitatis fons & origo est, ex *Jac. 1. v. 17.* (3.) omnium aliarum rerum perfectiones eminenter in se continet, *Pf. 93. v. 9. & Esa. 66. v. 9.* Vid. *Scheibler. Metaph. l. 2. ca. 3. nu. 324. sqq.*

§. 5. In hanc rem est egregia Augustini explicatio in *Epist. 54. ad Macedon.* *Deus ergo solus singulariter bonus est, & hoc amittere non potest. Nullius enim participatione bonus est, quoniam bonum, quò bonus est, à seipso est. Homines autem, quos Deus bonos dicit, (ut *Matth. 12. v. 12.*) ex participatione gratiæ id sunt.*

§. 6. Aristotelem nunc ad eam, qui non uno in loco Dei bonitatem & perfectionem adstruit. Ita autem ille in *lib. 1. de Cæl. c. 9. t. 100.* τὸ θεῖον πρῶτον καὶ ἀκρότατον ἔχει φαῦλον εἶναι, ἕτε ἐνδεὲς τῶν αὐτῶν καλῶν εἶδενός εἶναι. h. e. *primum & summum Divinum (sive Deum) nihil mali habere, nec ullo suorum bonorum indigere.* Similiter *l. 2. Magn. Mor. c. 15.* *Neq̄, enim si Deus est αὐτάρκης καὶ μηδενός δεῖται, sibi sufficiens, nulliusq̄, indiget; ob hoc etiam nos nullo indigebimus.* Et *l. 7. Eudem. c. 12.* ubi Deum εἶδενός προσδεόμενον, nullius indigentem asserit. Qui locus (vel, loci phrasis) de professo coincidit cum antè citato dicto ex *Actor. ca. 17. v. 35.* Ut habeamus Aristotelem de professo cum Scripturis Sacris consentientem.

§. 7. Imò idem, quod ex Scripturis antea, jam ex Aristot-



ristotele formamus argumentum: quicumque est ἀνταρ-  
κῆς, ἔδενός τε οὐ δεόμενος, aliorum verò omnium indigen-  
tiam supplens, ille est bonus atque perfectus. Sed Deus  
est ἀνταρκῆς, nullius indigens, ipse verò omnium aliorum  
indigentiam supplet; Er. &c. Minor, quā primam, est  
Aristotelis κατὰ τὸ ῥητὸν; quā alteram verò partem claret  
ex lib. de Mund. ca. 6. & 7. ubi dicitur γενέτωρ ἢ σωτὴρ, αἴτιος  
τῆς σωτηρίας, δι' ὃν ζῶμεν, per quem vivimus, quod etiam in  
Actor. ca. 17. dicebatur.

§. 8. Accedit, quòd Aristot. Deum optimum (ἀρίστην)  
imò optimum vivens ait esse lib. 12. Metaph. c. 7. t. 37. & 59.  
& seq. ca. 9. Deum optimam esse substantiam, evincit h. m.  
sive enim mens (Deus) nihil intelligat, quidnam erit vene-  
rabile, sed ita se habeat, ut dormiens; sive intelligat, hujus  
verò aliud sit principale (non enim id, quod est ejus substan-  
tia, intellectio erit, sed potentia) non erit ἀρίστη ἔσθια, h. e. o-  
ptima substantia.

§. 9. Facit huc, quòd Aristot. recensens varios mo-  
dos perfecti, l. 5. Metaph. c. 16. ait, uno modò per se perfectum  
di i, quod secundum benè in nullo deficit, nec in aliquo genere  
excessum habet, nec quidquam extrà accipit. Quæ verba  
Thomas ibid. lect. 18. explicans, ait: hæc est conditio primi  
principii, scil. Dei, in quo est perfectissima bonitas, cui nihil  
deest de omnib9 perfectionibus in singulis generibus inventis.

## PUNCTUM V.

V. Dei primitas, vel, quòd est primus seu pri-  
mum omnium Entium.

§. 1. Præclara de hoc attributo tum in Scripturis,  
tum in Aristotel. prostant testimonia. Sic Esaiæ 44. v. 6.

Deus seipsum appellat ΠΡΩΤΗ, πρῶτον seu primum. *Ego primus*, ait, & *ego novissimus*. Idem de Deo dicitur & docetur in Apocalypsi & quidem repetitis vicibus, sed aliis verbis. Ita habet *cap. 1. v. 8.* ἐγὼ εἰμι Ἄ καὶ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος; Similiter *Cap. 21. v. 6.* In ultimo verò *cap. ver. 13.* omnia ista prædicata conjunguntur: ἐγὼ εἰμι τὸ Ἄ καὶ τὸ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος, ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος; h. e. *ego sum a & ω, principium & finis, primus & ultimus.* Accinit Aristoteles in *lib. de Mund. cap. 7. in fin.* ὁ μὲν δὴ θεὸς ἀρχὴ καὶ τέλος, καὶ μέσος τῶν ὄντων ἀπάντων ἔχων; *enim verò Deus principium & finem & media rerum omnium tenens, & alibi multoties.*

§. 2. Ubi Not. I. τὸ primum & ultimum, τὸ principium & finis, negativè accipi, prout dicunt negationem omnis prioris & posterioris; & hoc apprimè docetur in *ant. ca. 43. Esaiæ, v. 11.* ante me non est Deus, & post me non erit. Ut late scat quoque hic συλλογίζων λόγος: Ille, ante quem & post quem non est alius, est primus & ultimus. Deus est ille, &c. Er. Deus est primus & ultimus. Jungimus dictum *Psal. 90. v. 2.* Priusquam montes nascerentur, & formares terram & orbem, & à seculo & in seculum tu es Deus.

§. 3. Not. II. Plura aq̄d Aristot. hac in re occurrere nomina, pluresque modos loquendi: nunc dicit *primum Ens*, nunc *primam substantiam*, nunc *nunc primum vivens*, nunc *primum movens* vel *primū motorem*. Not. III. quòd horum prædicatorū non est par ratio. *Primum enim Ens & prima substantia*, item *primum vivens* sunt prædicata absoluta, *primum movens* verò & *primus motor* sunt prædicata respectiva. Alia ergo primitatis ratio in Ente & substantia prima; alia in movente primo. In Ente primo est omnimoda & absoluta primitas; in movente verò primo

primo

primo est primitas modificata. Motor enim habet initium, incepit enim aliquando esse motor; in ente verò primo nulla initii ratio; non enim Deus incepit esse Ens, sed est Ens à se & ab omni æternitate; est vivens ab omni æternitate, non v. est movens ab omni æternitate. Qui enim in initio instituit naturam, is in principio movit Naturam seu creaturam mobilem, &c. Id quod quoque ex Aristot. habemus, qui *l. 12. Metaph. c. 7. t. 38.* inquit: *à principio tali tùm Cælum tùm tota Natura dependet.*

§. 4. Not. III. Notandum, *primam substantiam* dupliciter dici, vel accipi apud Aristotelem: *vel Logicè*, pro individuo substantiali, sive pro tali substantia, quæ neque de subjecto aliquo dicitur, neque in subjecto aliquo est, ceu constat *ex lib. categ. ca. 5. vel Metaphysicè*, & quidem negativè, pro tali substantia, qua non datur prior. Quando Aristot. Deum substantiam primam & Ens primum dicit, posteriori modò intelligit, & hoc ipso, Deum ante omnes substantias, & ante omnia entia fuisse significat.

## PUNCTUM VI.

VI. DEI (*Essentiæ Divinæ*) *independentia.*

§. 1. Hoc quidem Dei Attributum neque in Scripturis, neque in Aristot. expressum habetur, inde tamen per consequentiam deducitur, & probatur, nimirum: Si Deus est primus, si est ante omnes substantias, omniaque Entia, ut independens sit & à se, necesse est. Quidquid enim est ante omnia, id à nullo potest dependere, cum nihil sit, à quo dependeat. Quidquid autem à nullo dependet, & tamen reverà est seu existit, id ex se sive à se ipso sit oportet.

*Deus est omnis magnitudinis vere expers, indivisibilis & inpartibilis.*

§. 1. Hæc attributa apud Aristot. habentur quidem expressè & quoad literam; in Scriptura vero S. non habentur, nisi quòd exinde per bonam consequentiam deducuntur, & ex aliis attributis aut prædicatis, maximè ex Dei simplicitate & spiritualitate ostenduntur. Inde enim argumentamur: quæcunq̄ue substantia est sine materia, illa quoq̄ue est sine magnitudine. Omnis Spiritus est sine materia; Er. Omnis Spiritus est sine magnitudine. Quia verò Deus est Spiritus, erit quoq̄ue Deus sine magnitudine. Imò Deus est inter omnes substantias spirituales prima atq̄ue suprema, omniumq̄ue perfectissima, simplicissima, ex suprà dictis; Er. Deus maximè est magnitudinis expers.

§. 2. Apud Aristotelem verò leguntur plurimis in locis, tum l. 12. *Metaph. c. 6. & 7.* tum l. 8. *Physic. c. 10.* ἡ σία αἰδιος καὶ ἀκίνητος μεγέθος ἐνδέχεται ἔχειν, & propterea inpartibilis & indivisibilis est, ἀμερῆς καὶ ἀδιαίρετος. Estque ratio in Philosophia Aristotelis manifesta; quia omne quantum est divisibile, & partem habet extra partem, estq̄; divisibilitas proprium & immediatum consequens quantitatis, & quantitas indivisibilis nihil est, quàm σιδηρόξυλον; quæ omnia in Deo summam arguunt imperfectionem &c. Ut proinde Deum non esse divisibilem, sed indivisibilem, omnibusq̄ue partibus quantitativis carentem, inde sequatur.

## PUNCTUM VIII.

*VIII. Dei immutabilitas.*

§. 1. Cum dupliciter intelligatur, Deum esse immutabilem;

bilem; vel ratione essentiae, vel ratione voluntatis; utramque immutabilitatem breviter tum ex Scripturis, tum ex Aristot. delibabimus. Quà illam, *Malach. 3. v. 6.* inquit Deus: *ego Dominus, & non mutor. Apud Deum non est transmutatio, ἡ ἀλλαγὴ ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα, aut conversionis adumbratio, Jacob. 1. vers. 17.* Idem κατὰ Διάνοιαν habetur in *Psal. 102. v. 27.* ubi ita Propheta: *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Latet hic συλλογίζων λόγος. Quicumque idem est manetque semper & cujus anni non deficient, ille quà essentiam suam est immutabilis. Deus idem est manetque semper, ejusque anni non deficient. Er. &c.

§. 2. Quantum ad immutabilitatem voluntatis verò egregius est locus *Esa. 14. v. 24. sqq.* ubi *ver. 27.* hæc traduntur: *Dominus exercituum ὕψι consuluit, vel, uti habetur in vers. Vulgata, decrevit; ὅτι ἴσθι & quis irritabit, vel, uti Valgata, quis infirmabit? Manus ejus est extensa, & quis redire faciet (avertet) eam?* Quibus verbis significatur, id, quod Deus decrevit, firmum esse & immutabile.

§. 3. Sed ad Philosophum nostrum. Immutabilitatem Dei ratione essentiae is docet *l. 12. Metaph. c. 7.* ubi *text. 41.* ipsum dicit ἀναλλοίωτον h. e. immutabilem. Et in *antec. t. 38.* Deum ens necessarium esse statuit, quod non contingit aiiter se habere. Quod autem tale est ens, ipsum immutabile esse consequitur. Pulchrè quoque in *seq. ca. 9.* tradit his ipsis verbis: *δῆλον, ὅτι τὸ θεϊτάτον καὶ πρῶτάτον νοῦ, καὶ ἡ μεταβάλλει. Manifestum quod id, quod divinissimum honorabilissimumque est, (Deum intelligit) non mutatur.* Et *l. 1. de Cæl. ca. 9. t. 100.* sic: *omne divinum ἀμετάβλητον h. e. immutabile esse necesse est.* §. 4. Ra-

§. 4. *Ratione verò voluntatis & decreti immurabilem esse Deum, docuit Arist. l. 7. Ethic. Nicom. c. ult. in fin. ubi tradit. mutationem omnium rerum dulcissimam esse, propter improbitatem quandam hominum. Quemadmodum enim homo vitiosus, inquit, ingenio mobili ac mutabili est, sic ea, nature, quæ mutationem desiderat, mala ac vitiosa est. Non enim simplex, neq; bona est. In antecedentibus verò dixerat: si cujus natura simplex sit, eadem actio semper erit jucundissima. Itaq; Deus semper unâ & simplici voluptate potitur. Quia nimirum vitiosi & improbi ingenio sunt mobili ac mutabili, Deum, qui neutiquam malus & improbus, sed bonus, imò optimus est, (uti hîc, tanquam verisimum, supponitur) non esse mutabili ingenio, ita loquendo, vel, non habere voluntatem mutabilem consequitur. Summa rei est: quæ natura est simplex & bona, illa est immutabilis voluntatis; quæ verò natura non est simplex & bona, illa est mutabilis voluntatis, vel, ut Aristot. loquitur, ingenii mutabilis.*

§. 5. *Imò denique Philosophus lib. 12. Metaph. c. 6. & alibi passim, tantam Deo in agendo constantiam tribuit, ut non solùm Interpretum plurimi, verùm quoque alii doctissimi Scriptores existimârint, Deum agere ex necessitate naturæ. Quamvis autememus, hoc assertum, si commodus & sanus sensus investigetur monstretur, cum summa Dei libertate stare & consistere posse.*

## PUNCTUM IX.

IX. *Dei incorruptibilitas & immortalitas.*

§. 1. *Hoc Dei attributum non solùm ex aliis prædicatis Divinis, nempe ex immaterialitate & immutabilitate*

tate

tate ducitur atque probatur (Omne enim immateriale, est incorruptibile & immortale; item omne quod est immutabile, immortale est; quod enim mutari nequit, quomodo morti subiectum erit) verum quoque expressè in Scripturis invenitur. Sic in *1. Tim. 1. v. 17.* Deus dicitur βασιλεὺς τῶν αἰώνων ἄφθαρτος, *rex in æternum incorruptibilis*; & in *d. Epist. ca. ult. ver. 16.* solus immortalitatem, ἀθανασία, habere dicitur.

§. 2. Quantum verò ad Aristotelem, is Deum (1.) incorruptibilem esse docet *l. 2. de Cæl. t. 36.* ubi expressè ipsum ἄφθαρτον seu *incorruptibilem* dicit; primum enim primi, ἔσ simplex simplicis, ἔσ (ἄφθαρτον seu) *incorruptibile*, ἔσ *ingenerabile incorruptibilis* ἔσ *ingenerabilis esse principium* ait. (2.) Deum ἀθάνατον seu *immortalem* statuit & vocat in *lib. 1. de Cæl. t. 22.* & *lib. 5. Topic. ca. 1.* semper proprium Dei dicit esse, quòd sit ζῶον ἀθάνατον seu *vivens immortale*. Addimus *lib. de Mund. c. 6.* ubi ζῶν ἀθάνατος h. e. *vitâ immortalis* vocatur, quòd immortalem vitam agat.

## PUNCTUM X.

## X. De Dei æternitate.

§. 1. Æternitas Dei non solùm in SS. Scripturis, verum quoque in Aristotele habetur. In Scripturis quidem tum expressè docetur, tum per consequentiam inde probatur. In *Genes. c. 22. v. 33.* dicitur אלהים עולם. Et in *Esaie ca. 40. v. 28.* אלהים עולם, *Deus æternus*. S. Paulus *Roman. 16. v. 26.* Deum vocat αἰώνιον, h. e. *æternum*. Idem hoc assertum Scriptura Sacra per legitimam consequentiam nobis elargitur. Qui enim nullam mutationem patitur, & cujus anni non deficiunt, uti habet Psaltes, vel,

F

uti

uti in Scholis loquimur, quicumque est omninò immutabilis & indefectibilis, ille est æternus. Deus est omninò immutabilis & indefectibilis. Ergo Deus est æternus. Add. *Esa.* 57. v. 15. *Dan.* 8. v. 9. *Job.* 36. 26. *Psal.* 90. v. 4. *Job.* 10. v. 5. 2. *Petr.* 3. v. 8.

§. 2. Apud Aristot. quoque hoc Dei Idioma tum expressè positum invenitur, tum per consequentiam ex aliis ipsius assertis deducitur. Expressè quidem, quando Deum vocat ζῶον αἰδίου, *vivens æternum*, lib. 12. *Metaph.* c. 7. addens: καὶ αἰὼν συνεχῆς καὶ αἰδίον ἀρχαί τῷ θεῷ, h. e. *Ævum continuum atq; sempiternum Deo inest*. Huc pertinet, quòd 8. *Physic.* t. 49. *primum movens* (quod Aristoteli est Deus) αἰδίον seu *æternum esse* dicit. Præterea per consequentiam hoc Dei attributum ex Aristotelicis deducitur principiis. Quidquid enim (1.) est ens primum seu ex se & ante omnia, (2.) omninò immutabile & immortale, illud quoque est æternum. Sed Deus Aristoteli est tale Ens, ceu ex illis, quæ hactenus dicta & evicta fuere, constat. Er. Deus Aristoteli quoque est æternus.

§. 3. Nihil est, si dixeris, Deum posse dici aut concedi æternum sensu Aristotelicò, non verò Sacrò seu Scripturæ S. Contrà: quodcumque ens 1. est primum & ante omnia; 2. ab ævo sempiternò ad alterum ævum pertingens, illud ens est æternum. Deus 1. Aristoteli est ante omnia; 2. ab uno ævo in alterum ævum pertingens (ἀνικλων ἐξ αἰῶν ἀτέρον εἰς ἕτερον αἰῶνα) immortalis. Ergo est æternus Aristoteli. Aristotelica Minoris probatio respondet illi Psaltico, *Psam.* 90. v. 2. & à seculo & in seculum tu es Deus, &c. En! harmoniam Saerorum & Aristotelicorum dictorum,

PUN-



XI. *De Dei infinitate.*

§. 1. Prænotandum 1. In Scriptura S. quidem nulli-  
bi *ἰνταῖς* extare, *Deum esse infinitum*; attamen æquipol-  
lentibus verbis absoluta Dei infinitas exprimitur. Not. 2.  
quòd dicitur: *absoluta Dei infinitas*. Non enim quanti-  
tatis aut extensionis intelligitur infinitas, sed essentiæ &  
perfectionis. Et quia Deus est Ens omnium perfectissi-  
mum, ipsum simpliciter & absolutè infinitum esse, vel  
absolutam essentiæ atque potentiæ infinitatem habere  
consequitur.

§. 2. Continetur autem hoc attributum in *Psal. 145.*  
*v. 3. Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis*  
*ejus non est finis.* Jungatur *Baruch. ca. 3. v. 25. Magnus est*  
*(scil. Deus) & non habet finem, excelsus & immensus.* Inde  
sic argumentamur. Quidquid non habet finem seu ter-  
minum suæ essentiæ & virtutis, id omninò infinitum esse  
oportet. Sed Deus non habet finem seu terminum suæ  
essentiæ & virtutis. Er. Deum esse infinitum oportet.

§. 3. Quantum verò ad Aristotelem, in ipsius Scri-  
ptis hoc Dei attributum haberi ostendendum est. Inveni-  
tur autem illud tùm in *lib. 8. Physic. ca. 10. t. 79.* tùm in *lib.*  
*12. Met. c. 7. t. 41.* ubi ita legitur: *κινεῖ γὰρ τὸν ἄπειρον, ζέρον,*  
*ὁ δὲν δὲ ἔχει δύναμιν ἄπειρον πεπερασμένον,* h. e. *Nam infinito*  
*tempore movet* (scilic. substantia prima & æterna.) *Nihil*  
*verò finitum potentiam habet infinitam.* Quæ ipsa verba lo-  
qui de infinitate primi moventis, nullum est dubium.

§. 4. Hoc verò ut clarum reddamus & manifestum,  
Not. I. Arist. in *citat. l. 8. Physic. c. 9.* quinç; Dei attributa in  
medium afferre; 1. quòd sit *unus*; 2. quòd sit *immobilis*;

F 2

3. quòd

3. quòd sit *æternus*; 4. quòd sit *indivisibilis & impartibilis*; 5. quòd sit *infinitus*, &c. Not. II. de ultima hac Dei proprietate, de infinitate, quòd vox *infiniti* sit ambigua, & in Scholis accipi solet dupliciter; 1. *in proprietate physica*, pro eo, quod habet partes extra partes, quas si accipias, semper aliquid extrà sumi potest; ita linea in infinitum porrecta si daretur, diceretur infinita, atque h. m. Deum non dicimus, nec dicere possumus infinitum, cum infinitum ita acceptum, uti & finitum ei oppositum, sint affectiones corporis naturalis, ei propter quantitatem seu magnitudinem (scilic. propriè dictam, quæ est quantitas molis) competentes, unde hæ propositiones sunt celebres in Physicis: *Omne corpus est quantum & magnitudine præditum; Omne corpus habet quantitatem finitam; non datur infinitum (quantitativum) actu in Natura; infinitum potentiâ (& quidem imperfectibili, h. e. quæ non deducitur in actum, datur in Natura, &c.* 2. Vox *infiniti* accipitur *Metaphysicè*, analogiâ à rebus physicis petitiâ, pro eo, quod nec actu habet, vel debet aut potest habere fines essentiæ vel potentiæ aut virtutis, quomodo infinitas est attributum Dei, finitas verò est affectio creaturarum, ut Angelorum, hominum, Animarum nostrarum. Ista enim omnia dicuntur entia finita.

§. 5. Not. III. *Infinitum*, uti & oppositum ei *finitum*, triplex distinctè posse accipi, 1. *infinitum in duratione*, 2. *in potentia*, seu quâ virtutem & vigorem agendi, 3. *infinitum in essentia*, quod utraque illa tanquàm connexa aut consequentia in se continet. Hic non est quæstio de sola infinitate durationis, cum constet, etiam ex Aristot. Deum esse æternum; sed quæstio potissimum est de  
 infini-

infinite in essentia & perfectione, & sic etiam quâ virtutem agendi. Hinc asserimus I. *Deus de sententia Aristotelis est infinitus in duratione*, prob. I. ex *ll. cit.* quia movet infinitò tempore. Quodcunque verò ens tale est, ut infinitò tempore moveat, illud infinitâ duratione gaudet. Infinitum enim tempus Aristoteli infinitam notare durationem, tam certum est, quàm quod certissimum. Id quod quoque 2. ex eo probatur, quòd Aristoteles Deum æternum esse asserit, tum in *d. l. 8. Phys.* tum in aliis locis pluribus. Æternum verò quod est ens, illud omninò infinitâ gaudet duratione, vel, uti Aristotel. loquitur, illud infinitò durat tempore *κατὰ τὸν ἀπειρον χρόνον*, vel, uti habet in *l. de Mundo ca. 7. διήκων ἐξ αἰῶνος ἀπερμὸν εἰς ἕτερον αἰῶνα*, ab uno seculo ad alterum pertingens, quod respondet illi *Psal. 90. vers. 2. & Deus à seculo in seculum*, &c. Asserimus II. *Deus Aristoteli est infinitus ratione potentia & virtutis agendi*. Hæc sumitur ex *Arist. ll. citatis*, uti conceditur ab Interpretibus. Vid. *Crell. Comment. in l. 8. Phys. c. 10.* Nec cogitari potest, quomodo sit movens infinitum, nisi infinitæ virtutis, & infinitæ durationis. De cæteris huc spectantibus jam porrò.

§. 6. Asserimus III. *Deum esse ens infinitæ essentia & perfectionis*. Hæc deducitur ex prioribus Assertionibus: Etenim sicut infinita duratio Aristoteli non est nisi entis infiniti: ita quoque infinita virtus Aristoteli non est nisi entis sive essentia infinitæ. Jam verò Deus Aristoteli est agens & movens infinitum infinitæ virtutis, & quidem infinitò tempore, vel, quod eodem recidit, infinitâ duratione &c. Struimus Syllogismum: Quicquid Aristoteli est ens infinitæ durationis atque infinitæ virtutis agen-

di, illud quoque eidem est ens infinitæ essentiæ. Atqui Deus Aristoteli est ens infinitæ durationis & infinitæ potentia. Er. Deus Aristoteli quoque est ens infinitæ essentiæ.

§. 7. Accedit quoque ex Aristotele, quod juxta ipsum ne quidem distinguuntur in Deo essentia, existentia, duratio & potentia. Nec enim duratio, & in specie ævum atque æternum apud Aristotelem sunt accidens aliquod in Deo. Imò Aristoteli etiam res Physicæ sunt sua duratio. Duratio enim est existentia rei, & tempus, uti est duratio, non est diversum quid à quâlibet re. Idcirco Philosophus in 4. *Metaph. t. 51.* dicit, *esse in tempore, idem esse, quod rerum essentiam mensurari tempore.* Mensura autem ejusdem generis est, *l. 10. Metaph. t. 4.* Er. tempus cujusque secundum rem idem est, quod esse uniuscujusque, modò quòd ratione differunt, quatenus induit rationem mensuræ. Vid. *Ernest. Sobner. Comment. in l. 12. Metaph. c. 7. p. 658.*

§. 8. Aliàs D. Jac. Martini in *Exercitationibus Metaph. l. 2. Ex. 4. tb. 11.* dupliciter ex Arist. probat attributum infinitatis. (1.) à priori, ex aliquo attributo prius de Deo demonstrato; Et (2.) à posteriori, ex effectibus. I. De priore quidem, quando prius probatum est, Deum esse Ens simpliciter primum, tùm quoque constat, ipsum infinitum esse: Nam quod simpliciter primum est, id 1. à nullo, sed à seipso existit. 2. id per se absolutè & independenter existit. 3. id absolutè perfectum & absolutum est. 4. Illi nihil addi, nihilque detrahi potest, adeoque 5. infinitum est; cùm omni finito per naturam ita aliquid addi possit, ut sui augmentationem inde sentiat; sic etiam aliquid,  
adimi

adimi potest, ut diminutionem & mutationem inde experiatur. II. A posteriore, Deum infinità virtute adeòque infinità essentià (cùm virtus essentiã sequatur, & juxta Aristotelem in Deo cum essentiã planè idem sit) præditum esse probat, Arist. *l. 8. Phys. ca. 10. & l. 12. Metaph. c. 7. t. 41.* ex eo, quod movet infinitò tempore. Ita B. D. Jac. Martini tùm *in d. l. 2. Exerc. Metaph. Exerc. 4. th. 11.* tùm *in Vernunftsp. l. 1. c. 66. p. 646.* Prætereà denique Ens movensq; æternum non potest esse nisi infinitū. Sed Deus, juxta Aristot. est Ens movensq; æternum, Er. Deus Aristot. nō potest esse, nisi Ens infinitū s. infinitæ essentiæ.

§. 9. Pro Aristotele ex Aristotele insuper formantur etiam hæc argumenta: Quæc. substantia Aristoteli est infinita & infinite movens, ita, ut ipsa sit magnitudinis & molis corporeæ expers, imò summè simplex, inextensa, & planè indivisibilis, illa substantia Aristoteli est infinita, entitativè s. quæ essentiã, adeòque eò modò, quò Scriptura S. intendit & asserit. Sed Deus Aristoteli est infinitus ita, ut sit magnitudinis omnisque molis corporeæ expers &c. Er. &c. Imò pro Aristotele possumus quoque adhibere argumentum, tùm à Scriptura S. tùm ab Aristot. nobis suppeditatum & suggestum: Illud ens, quod non habet terminos suæ tùm essentiæ, tùm perfectionis & virtutis, est infinitum essentialiter. Deus est tale ens &c. Er. &c. Min. probatur, quia Deus Aristoteli est tale ens, est 1. ens scil. primum inextensum, 2. omnia pertingens & pervadens indivisibiliter, simplici que omninò περιχωρήσει. Quod verò ejusmodi ens est, quomodo fines seu terminos vel essentiæ vel potentiæ admittet. Deus omnia penetrans, simplici que περιχωρήσει pervadens, &c.

PUN-

## XII. De Dei Omnipotentia.

§. 1. Hoc Dei attributum tam κατὰ τὸ ῥητὸν, quàm κατὰ τὴν Δύναμιν in Scripturis SS. contineri, certum est & indubium. Primò Deus disertè vocatur יְשׁוּ seu Omnipotens, in multis V. T. locis. *Genes. 17. v. 1. & cap. 35. v. 11. Exod. 6. v. 3. Ezech. 10. v. 5.* & alibi In N. T. vocatur παντοκράτωρ, in *1. Cor. 6. v. 18. Apocal. 1. v. 8.* Deinde per consequentiam idem attributum ex Scripturis inferre possumus, ut quando *Matth. 19. v. 26.* dicitur, *apud Deum omnia sunt possible.* & *Luc. 1. v. 37.* *apud Deum non est impossibile ullum, verbum (ῥῆμα)* h. e. ulla res. (Vox enim ῥῆμα ad modum vocis כַּבֵּר, & rem, & verbum significat.) Inde datur argumentari: Is cui omnia sunt possible, & apud quem ne ulla quidem res est impossibile, est omnipotens. Deus est ille, cui omnia sunt possible, & apud quem ne ulla res est impossibile. Er. Deus est omnipotens.

§. 2. Idem hoc Dei attributum in Aristotele habetur, & per consequentiam inde elicitur. Primò ex *antè cit. lib. 12. Metaph. c. 7. t. 41.* ubi duo Philosophus proponit; 1. Deum movere infinitò tempore; 2. finiti non esse infinitam potentiam; ex quo nos deducimus, infinitam potentiam esse finiti. Debet enim illa proportionari ei, cujus est potentia. Argumentamur igitur: quidquid est Ens infinitum, illud infinita pollet potentiâ, quæ non est alia, quàm omnipotentia. Sed Deus est Ens infinitum. Er. pollet potentiâ infinitâ, &c.

§. 3. Nec obstat, quòd Aristot. d. l. loquatur de finito & infinito in quantitate; removet enim à Deo quantitatem, quòd quantitas in Deo nec finita sit, nec infinita.

nita.

nita. Contrà 1. Sit ita; tamen statim transit ad infinitum Metaphysicum, illudque indigitat. Et Aristoteles (suo modo loquendi) nobis exhibet Dei attributum, dum ait, primam substantiam movere tempore infinito. Quod enim tempore infinito movet movens, non potest esse nisi infinitum Ens. Physicè enim nullum infinitum tempus est; Physica enim nullum infinitum admittit. Er. intelligendum finitum Metaphysicum vel Metaphysicè acceptum. 2. ait, nihil finitum habere potentiam infinitam, e.g. Angelus quia finitus est, nullam potentiam infinitam habet aut habere potest. Potentia enim essentiæ proportionari debet. Quod igitur est finitum ens, habet finitam potentiam, & quod est infinitum ens, non potest habere nisi infinitam potentiam. Ut propterea istæ propositiones: *finiti non est nisi finita potentia, & , infiniti non est nisi infinita potentia*; omninò de finito & infinito ratione essentiæ & perfectionis sint intelligendæ. Denique hæ propositiones sunt convertibiles; *quidquid est Ens infinitum, illud gaudet potentiâ infinitâ, & vicissim; quidquid gaudet potentiâ infinitâ, illud est Ens infinitum*. Quarum prior à priori se habet; est enim infinitas essentiæ causa (causa propter quam) infinitæ potentiæ; posterior à posteriori. Hæc cuncta Aristotelica sunt.

§. 4. Deinde elucet apud Aristot. Dei omnipotentia ex operibus ab ipso *in lib. de Mund.* descriptis, quæ non nisi Omnipotenti Deo competunt. Sit syllogismus. Quicumque Deo attribuit opera, quæ non nisi infinitæ sunt potentiæ, ille eo ipso omnipotentiam Deo attribuit, sive ejus omnipotentiam statuit. Sed Aristoteles Deo attribuit opera, quæ non nisi infinitæ sunt potentiæ, vel, quæ

G

non

non nisi ex omnipotentia proficiscuntur. Er. Aristot. Deo attribuit Omnipotentiam, &c.

§. 5. Πορὸ *l. 9. Metaph. ca. 1.* sic tradit Philosophus: *πλεόν ἐστιν ἡ δύναμις καὶ ἡ ἐνέργεια τῶν μόνον λεγομένων καὶ κινήσιν,* h. e. *plura complectuntur potentia & actus, quàm quæ solùm ex motu dicuntur.* Ubi Philosophus statuit potentiam effectivam, quæ à motu & subjecto est independens. Antequàm autem argumentũ struamus, notamus, quòd sicut *effectio* sive *productio*, ita & *potentia effectiva* sive *productiva* est duplex: *vel* enim est dependens à subjecto, & conjuncta cum motu, *vel* non. Utraque productio, adeoq; utraq; potentia productiva in Deum cadit; ille tùm dependenter à subjecto, tùm citra dependentiam ab eo, aliquid producere novit valetque; Agentia verò naturalia tantùm dependenter à subjecto faciunt, quidquid faciunt.

§. 6. Inde tota factibilium, h. e. eorum, quæ fiunt sive fieri possunt, latitudo tùm desumitur, tùm dijudicatur. Quia enim productio passiva activæ, & vicissim, productio activa passivæ respondet, ideò quidquid est factibile, sive quidquid effici fierique gessit, id aut fit dependenter à subjecto & motu, aut independenter. Hinc argumentor: Cujus potentia effectiva se extendit tam ad illa, quæ fiunt independenter à subjecto, quàm ad illa, quæ fiunt dependenter ab eo, illiq; potentia effectiva se extendit ad omnia factibilia. Sed Dei potentia effectiva (de sententiâ Aristot.) se extendit tam ad illa, quæ fiunt dependenter à subjecto, quàm ad illa, quæ fiunt independenter ab eo. Er. &c. Major est indubiæ veritatis; Πορὸ 2. *cujus potentia effectiva se extendit tam ad illa, quæ fiunt independenter à subjecto, quàm ad illa, quæ fiunt de-*  
pen-



pendenter ab eo, illius potentia effectiva se extendit ad omnia factibilia. Dei potentia effectiva se extendit ad omnia illa, quæ tam independenter, quàm quæ dependenter à materia fiunt. Er. potentia Dei se extendit ad omnia factibilia.

§. 7. Qua in re non est, ut de Minore quis dubitet. Et enim quantum ad illa, quæ fiunt dependenter à subjecto & motu, prostant Dei opera, quæ Aristoteles in lib. de Mundo Deo attribuit. Illa sanè citra dependentiam à subjecto non fiunt, aut fieri possunt. Quantum verò ad illa, quæ fiunt & fieri gestiunt independenter à subjecto & motu, ea cui agenti attribues, præterquàm Deo Ejusque Omnipotentia? Et cujus, quæso, Entis atque agentis intuitu Aristoteles dixit, potentiam & actum plura complecti, quàm ea, quæ ex subjecto & motu petuntur? Verbo: Deum respexit, Dei potentiam indigitavit, nullam aliam, vel, nullius alius Entis potentiam.

§. 8. Agmen claudat egregium illud Aristotelis, quod legitur in lib. de Mund. ca. 6. *ταύτα γὰρ πρὸς θεῷ ἀγνοεῖν ἢ δυνάμει μὴ ἔντος ἰσχυροτάτης*, Ita oportet de Deo existimare, ut si potentiam spectes, sit potentissimus. Hæc Aristoteles nobis ad statuminandum Divinæ omnipotentia attributum, largiter suppeditavit.

## PUNCTUM XIII.

## XIII. De Dei immensitate.

§. 1. Cognata hæc sunt Dei attributa Dei infinitas & immensitas. Gottes Unendlichkeit und Gottes Unermesslichkeit/ ut etiam passim promiscuè sumi soleant tum essentia infinita & immensa, tum potentia infinita & immensa; quæ tamen omninò differunt, non quidem realiter, sed conceptu & formaliter, vel secundum alias &

alias rationes formales, de quibus consulendi & legendi sunt Metaphysici. Videatur etiam Jac. Martini *Bere nunfftspiegel* l. 1. ca. 66. p. 644. sq.

§. 2. Immensitatis attributum, quantum quidem nobis constat, in Scriptura S. expressè non invenitur, præterquàm in *Baruch* ca. 3. v. 25. ubi sic: *magnus est Dominus, & non habet finem, excelsus & immensus*. Ubi quatuor de Deo dicuntur, 1. quòd magnus sit; 2. quòd non habeat finem, 3. quòd excelsus, 4. quòd item immensus sit. Videtur autem immensitas Dei deduci ex *Psal.* 135. v. 3. *magnus est Dominus, & magnitudinis ejus*, uti Vulgata habet, *non est finis*. Quod verò ita magnum est, ut ejus magnitudo non habeat finem, id omninò immensum est.

§. 3. Sed inquis: in antecedentibus *Dei infinitas* ex hoc ipso dicto monstrata fuit; igitur ex eodem non monstrabitur *Ejus immensitas*. Contrà: quid causæ est, cur non utrumque hoc Dei idioma in allegato dicto contineri dicamus? Cur non tam de magnitudine perfectionis & virtutis ipsum loqui dicamus, quàm de magnitudine essentiæ? Porro: Quæ essentia ita est magna, ut magnitudinis suæ non habeat finem, ipsam tùm infinitam, tùm immensam esse oportet. Et prætereà immensitas infinitatem includit. Ut hoc ipso, quò essentiam immensam dicis, dicas quoque infinitam.

§. 4. Jungimus *2. Paralip.* 2. v. 5. *& 6. magnus est Deus noster super omnes Deos: quis ergo poterit valere, ut aedificet ei domum? Nam Cæli Cælorum eum capere nequeunt &c.* Quæ ipsa verba quoque extant in *1. Reg.* 8. v. 27. Qui verò ita magnus est, ut ipsum Cæli Cælorum non capiant, nec capere possint, annon is immensus erit, vel immensæ essentiæ & substantiæ?

§. 5. Non

§. 5. Non obstat ergo, quòd aliqui ista & similia Scripturæ dicta de magnitudine perfectionis & virtutis accipiunt. Etenim 1. verba citata de ipsa Dei substantia intelligenda esse, totus contextus testatur. 2. Unius positio non statim est alterius exclusio. 3. Esto; si de immensitate perfectionis; Er. tàm quoque Deus est essentiã immensus. Quò enim perfectior est substantia spiritualis, eò perfectiorem habet præsentialitatem sive adessendi modum. Si ergo magnitudo perfectionis in Deo est infinita, oportet, ut quoque Deus habeat infinitam præsentialitatem, quæ longè maxima est perfectio, & quoad rem nihil aliud, quàm ipsa immensitas. 4. ne quidem realiter differunt Aristoteli perfectio Dei (sicut & virtus Dei) & Essentia Dei; ut, quia illa est immensa, etiam hæc sit immensa oportet. Imò 5. infinita sive immensa perfectio (infinita virtus) infinitam essentiam supponit. Ut proinde jure argumenteris: Cujus Entis infinita & immensa est perfectio atq; virtus, illius Entis infinita quoq; & immensa est essentia, vel, quod idem est, illud Ens infinitum atque immensum est. Sed Dei perfectio & virtus est infinita atque immensa. Er. ipsa quoque Dei essentia est infinita atque immensa.

§. 6. Sed Aristotelis sententias istis Sacris adjungamus. Aristoteles de Deo statuit (1.) quòd sit omnis veræ magnitudinis & molis corporeæ expers, (2) omninò simplex imò simplicissimus in essentia sua, &c. (3.) propterea inextensus, indivisibilis & inpartibilis, tùm in *l. 12. Metaphys.* tùm in *8. Physic.* ceu suprà allegata monstrant, (4.) porrò omnia intimè permeans & pervadens seu penetrans, *l. de Mundo ca. 5. & 6.* iteratis vicibus. Inde argumen-

tum: quicunq̄ue est omnis veræ magnitudinis, omnisq̄ue adeò molis corporeæ expers, & propterea inextensus, indivisibilis & impartibilis, omnia simplicissimè & infinitè pertingens & pervadens, pervadendoq̄ue fovens atq̄ue conservans, illum sicuti infinitum, ita & immensum esse oportet. Sed Deus est ejusmodi ens, ceu monstratum & probatum. Er, Deus sicuti infinitus, ita & immensus est in essentia sua.

§. 7 Illa simplicissima & intima pervasio & penetratio quid aliud est, quàm intima & simplicissima *περιχώρησις καὶ ἐμπλήρωσις*, quâ Deus omnia pertingendo replet quoq̄; vel implet? Id quod Aristoteles suâ phrasi edocet. *Suâ phrasi* dico. Ita enim *δήκησις* illa seu *pervasio* Aristotelica nihil aliud est, quàm illa *impletio*, quâ Deus Cœlum & terram & omnes creaturas simplicissimâ suâ essentiâ implere vel replere dicitur, quâ ipsâ phrasi nil aliud, quàm immensa Dei essentia immensaq̄ue præsentia denotatur. Nec enim ex nudis verbis, sed ex emphasi verborum de rebus judicandum, & tùm subjecta materia, tùm scopus tractationis observandus.

#### PUNCTUM XIV.

#### XIV. De Dei Omnipræsentia.

§. 1. Atq̄ue inde ostenditur *Dei Omnipotentia*. Qui enim immensus est infinitâ immensitate essentiæ suæ, & tamen creaturis suis præsens est, ille per essentiam suam est ubiq̄ue præsens. Sed Deus est immensus infinitâ immensitate essentiæ suæ. Igitur Deus per essentiam suam est ubiq̄ue præsens. Major est principium, & sumitur ex ratione formali immensitatis; Minor petita est ex allegatis

gatis

gatis Scripturæ locis. Quibus jungimus alia clarissima loca nimirum *Psal. 139. v. 7. sqq. quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? & c. & Jerem. 23. v. 23. & 24. nunquid Deus de propinquo ego sum, & non Deus de longinquo? num occultabit se quispiam in occultis, & ego non videbo eum? annon Coelum & terram ego impleo?* Et *Josua ca. 2. v. 11. dicitur, Deum in Coelis supra, & in terra infra esse.*

§. 2. Hoc ipsum antè §. 96. citatis dictis quoq; continetur. Duo enim illis involvuntur: 1. Deum ratione substantiæ suæ non posse contineri exiguà aliquà domo, quòd tantus sit, ut ob immensitatem suam ne vastissimò quidem corpore capi queat; 2. indigitatur, Deum ubique præsentem esse ratione essentiæ suæ, atque adeò etiam providentiâ & gubernatione toti Naturæ præesse.

§. 3. Sed de Aristotel. dispiciamus, & , cùm hæc Dei idiomata *κατὰ λέξιν* apud ipsum non inveniantur, ex ejus doctrinis, & genuinis principiis Aristotelicis eadem eruamus, ostendamus. Primò quidem ex operationibus Dei argumentum duci solet. Ipsum autem sic habet: Omne agens est præsens rebus, in quas operatur. Deus est agens, & quidem universale, efficiens omnia, & in omnibus. Er. Deus est præsens omnibus rebus. Major videtur esse *Aristot. l. 7. Phys. c. 2. t. 10. ubi movens & motum simul esse ait. Minor constat ex multis locis Aristotelis, præcipuè verò ex l. de Mund. c. 6. & 7.*

§. 4. Ubi hujus argumenti propositio Major gravi dissidio occasionem præbuit. Disputari enim inde cœptum est; *an ex agentis actione sive operatione rectè inferatur ejus præsentia ad passum, ita quidem, ut ubicunq; aliquid operatur, ibi etiam præsens sit quoad essentialiam?*

Diffi-

Dissent hic Thomas & Scotus, quorum ille cum suis af-  
seclis affirmat, hic verò negat, quem ipsius quoque se-  
quuntur sectatores. Sed argumentum hoc ruminemus,  
& intimiùs perspiciamus.

§. 5. Argumentum desumitur ex gemina Aristotel.  
hypothesi, quæ utraq̃ Philosopho est certissima. Una  
est in *cit. l. 7. Phys. ca. 2. t. 10. primum movens cum eo, quod  
movetur, simul est*, ita quidem, ut inter ipsa nihil interce-  
dat; altera est in *l. 8. Phys. c. 5. t. 34. tota series moventium  
& mobilium dependet ab uno primo motore, qui non move-  
tur ab alio, sed ipse omnia alia à se movet*. Inde jam confi-  
cimus Syllogismum: Primus Motor est simul & indistan-  
ter cum omnibus mobilibus. Sed Deus est primus Mo-  
tor, & omnia in toto hoc Mundo respectu ejus sunt mo-  
bilia. Er. Deus simul & indistanter est cum omnibus re-  
bus in toto hoc Universo. Quo in negotio *Major & Minor*  
sunt Aristotelis, & juxta ipsum utraq̃ est certa, ut quo-  
que juxta ipsum certam oporteat esse conclusionem. Di-  
ctum: *juxta Aristotelem*; etenim licet prior hypothesis à  
nonnullis vocetur in dubium, Aristoteles tamen ipsam  
pro certâ habet; unde etiam id, quod ex ea sequitur, pro  
certo habeat necesse est.

§. 6. Imò Deum, ubicunq̃ est, ibi totum secun-  
dum suam substantiam esse vult Aristoteles. Veluti enim  
anima rationalis, quia quantitatis & partium expers est,  
ubicunq̃ est, ibi tota est; ita multò magis Deus, qui est  
*ἀμερῆς* seu sine partibus, qui est simplicissimæ entitatis,  
ubicunq̃ est, ibi secundum totam suam substantiam  
existit. Deus igitur juxta Aristot. ubiq̃ est indivisibiliter,  
quamvis spatia, in quibus est, sint distincta. In finitam,  
igi-

igitur, juxta Aristotelem, ubicationem Deus habet, eam-  
que indivisibilem, quod ideò est, quia infinitus atque im-  
mensus est.

§. 7. Audiamus ipsum Aristotelem ista clarè profi-  
tentem. (1.) Ita in *l. 7. Eudem. cap. 14. circa finem*: δῆλον δὲ  
ὡσπερ ἐν τῷ ὅλῳ θεός, καὶ πᾶν ἐκείνῳ κινεῖ γὰρ πῶς πάντα τὰ ἐν  
ἡμῖν θεῖον. h. e. *quemadmodum in universo est Deus, & vicissim*  
*cuncta in illo: moventur enim cuncta ab inexistente in nobis*  
*Numine.* Cui accinit egregium aliquod ejus dictum in  
*in lib. de Causis circ. finem*, ubi modum divini Regiminis  
exponens, ait inter alia; *causam primam existere in omni-*  
*bus rebus, &c.* cum comment. Thomæ Aquinat.

§. 8. Accedat (2.) *l. 1. par. Animal. c. 5.* ubi Philosophus  
de Heraclito refert sic: καθάπερ Ηρακλειτος λέγεται πρὸς τὰς  
ξένους εἰπεῖν τὰς βουλάμενας αὐτῷ ἐπιτυχεῖν, οἱ ἐπειδὴ περσιόντες  
εἶδον αὐτὸν θερόμενον πρὸς τῷ ἵπνῳ ἔσησαν. ἐκέλευσε γὰρ αὐτὰς εἰσι-  
εῖναι θαρρῦντας· εἶναι γὰρ καὶ ἐν ταῦθα θεός. h. e. *Quod Heracli-*  
*tum dixisse ferunt, eos, qui cum alloqui eum vellent, quòd*  
*fortè in casa quadam furnaria caloris gratia sedentem vidis-*  
*sent, accedere temperârunt, ingredi enim eos fidenter jussit,*  
*quoniam, inquit, ne huic quidem loco Dii desunt immortales.*  
Vult dicere: Deum secundùm substantiam suam esse ubi-  
que præsentem, ita ut omnia loca & spatia illâ totâ suâ es-  
sentiâ repleat, vel, uti ipse loquitur, pertingat & pervada-  
dat. Deus enim ex naturâ suâ est substantia infinita & im-  
mensa, uti jam modò constitit. Substantia verò immensa  
omnium locorum repletionem requirit.

§. 9. Falsus est planeque vanus Crellius, *in comment.*  
*l. 8. Phys. c. 10. t. 84.* sententiam ferens contra Aristotelem,  
& sic scribens *p. 487.* quòd quidam ex *1. de partibus animal.*  
& aliunde adferunt, ut ostendant, Aristotelem sensisse,

H

Deum

Deum essentiâ suâ ubique esse, id nimis vanum est, firmitatemque nullam habet. Imò vanus es, Crelli, hisce tuis verbis. Vide, hoc dudum notavit sincerus Aristotelis Interpretres & defensor M. Michaël Wolffius, b. v. quondam hîc Jenæ Mathes. & Physicæ Professor Publ. propriâ suâ manu scribens in margine hujus tui Commentariî p. 417. *quî sic, Crelli. h. e. quî vanum hoc est? quî nullam habeat firmitatem hoc, quod de Aristotele docti Viri affirmant? Et hic in hac casa furnaria sunt Dii, dixit Heracletus, introite, sentite, quicumque estis. Ostende vanitatem & infirmitatem hujus asserti, Crelli. Nec vel solus Heracletus, vel solus Aristoteles id affirmârunt; sed alii sapientes Ethnici, qui longâ serie recensentur à D. Jac. Martini in Bernunffisp. l. i. c. 7. p. 509. & ca. 67. p. 645. ex Homero, Ἰδὲ γὰρ θεοὶ εἰσι καὶ ἡμῖν, h. e. Dii autem adsunt & nobis. Virgilio Eclog. 3. Jovis omnia plena, &c. Alia plura talia dicta vid. l. cit. Nec offendi te patiaris, quòd Dii dicuntur in plur. Numer. Responsio nota est. Nec in solo plurali ponunt, sed promiscuè loquuntur, nunc singulari, nunc plurali utendes; qui modus loquendi Unitati Essentiæ Divinæ non officit, ceu s. l. monstrabitur.*

§. 10. Sed quæ, Crelli, sunt argumenta tua, quibus vanitatem & infirmitatem sententiæ illius Aristotelicæ demonstras? Videbimus. Hanc ponis doctrinæ Aristotelicæ summam, his tuis verbis, cit. p. 417. *demonstrat Aristoteles, (a) in nulla magnitudine vim infinitam, (b.) sine qua nihil infinito tempore moveri potest, inesse, ideòq; (c.) Deum Opt. Max. omni materiâ vacare, ut infinito tempore movere, infinitamq; vim exercere possit, (d.) Infinita illius Essentiæ nullo verbò mentionem faciens. (e.) Aristoteli igitur sufficit*



et aliquid infinitæ virtutis sit, ut omni penitus materiâ vacet, (f.) simplicissimæq; natura sit, (g.) licet non infinita. Ex hac tua Glossa te convincemus, Crelli, pro Aristotele intelligendo loquentes, & tibi veritatem Aristotelicam monstrantes.

§. II. Verùm ista maximam partem falsa esse & contra intentionem Aristotelis efficta, monstrandum est, uti dixi, ex ipso Crelli Commentario. I. Verum quidem est, veramque Aristotelis Philosophiam sapit, quando ait ille, juxta Aristotelem in nulla magnitudine infinitam inesse virtutem seu potentiam, & tamen II. sine virtute infinita nihil seu nullum agens posse movere tempore infinito, quod utrumque acceptamus, & sententiæ Aristotelicæ jamjam accomodamus. III. Verum est hoc; Deus enim omni caret materiâ, omniq; pariter magnitudine, quæ materiam tâquam Comes sequitur; IV. Aristotelem Infinitæ Essentiæ nullâ expressam facere mentionem, verum quidem est, verùm nihil id obstat, nihilque impedit; tamen infinitæ Essentiæ fit mentio, satisque clarè eam intelligenti significat & monstrat unicâ voce ἀπέρις latète; aperiri sunt oculi, ut videamus. Si enim juxta Philosophum I. finitum non habet potentiam infinitam, & tamen 2. quod movet, movens primum, tempore infinito movet, potentiâ infinitâ id gaudere atque pollere, potentiamq; illam Entis infiniti esse consequitur. Debet enim, etiam juxta Aristotelem, potentia respondere ei, cujus est potentia. Unde potentia finita non est nisi entis finiti, & potentia infinita est Entis infiniti. Si enim potentia infinita non est entis finiti, erit sanè ea Entis infiniti.

§. 12. Hinc transimus ad reliqua Crelliana: I. Falsum est, quod ait Crellius, sufficere, ut aliquid infinitatis

fit in Deo ad exercendam vim infinitam, & ad movendum tempore infinito, etiamsi Dei Natura seu essentia non sit infinita; falsum, cum, inquam, infinitas essentiae sit ratio & causa infinitae potentiae in Deo. Neutiquam ergo sufficit, in simplicissima Dei Natura aliquid Divinae potentiae inesse, cum ne quidē detur aliquid Divinae potentiae in Deo: Sed potentia Divina, ubi est, ibi tota est, imò plisimplicissimè tota. II. Falsum est & perabsurdū, in simplicissima Dei Natura aliquid Divinae potentiae inesse. Quanta enim est imperfectio, in Ente potentissimo & perfectissimo mutilare potentiam! III. Falsum quoque est, quod innuit Crellius, ex Scripturis credi tantum, & non ex natura cognosci immensam Dei essentiam & praesentiam. Annon Apostolus omnia ista ad *πῶσον ἡ ὄρα* refert *tum Roman. cap. 1. v. 20. Et 21. tum Actor. ca. 17. v. 24. seq.*

§. 13. Denique nōsse quoque debebat Crellius ex Aristotele, ipsi non differre aut distingvi secundum rem, Essentiam Dei ejusque potentiam aut virtutem agendi, sed essentiam Dei & attributa Dei in Deo esse simpliciter *αὐτὸ*, ipsissimamque Dei Essentiam, uti supra ex Aristotele aperuimus & ostendimus, ut frustra sit Crellius, ista ad revelationem Scripturae strictim & exclusivè referens, cum juxta Aristotelem ista omnia cadant in Deum simplicissimè sine ulla compositione, adeoque Deus sit maneatque simplicissima Essentia. Ut ex Aristotele tutò argumenteris, & quidem à posteriori, certissimèque concludas: quidquid est ens infinitae virtutis & potentiae, illud quoque est ens infinitae atque immensae essentiae. Deus juxta Aristotelem est Ens infinitae virtutis & potentiae. Ergo quoque infinitae essentiae. Haec omnia, quanta quanta sunt, Aristotelica sunt atque manent.

§. 14. Ve-

§. 14. Verùm (3.) unum adhuc, aliis missis & relictis, addendum ex Arist. *l. 7. Phys. c. 1. t. 1.* ubi nos *per Deum moveri* tradit, nec non ex *l. de Mund. cap. 7.* pulchrè ait, *nos per Deum vivere.* Respondet illi Apostolico *Actor. 17. v. 28.* Unde in Scholis Theologicis hæc formari solet argumentatio: *Per quem sumus movemur & vivimus, ille est nobis intimè & substantialiter præsens.* Per Deum sumus, vivimus & movemur, Aristotele fatente. Er. Deus in nobis intimè & substantialiter est præsens. En consensum Aristotelicum!

§. 15. Inquis verò: Non diffitemur quidem, ex eo, quòd in Deo seu per Deum sumus, colligere Apostolum, Deum non longè esse ab unoquoque nostrum, *in Actis, ca. 17. v. 27. 28.* Verùm, An Aristoteles hoc inde inferri posse, cognoverit, nullibi ex ejus Scriptis apparet. Ubi enim ista propositio in Aristotele legitur: *Per quem sumus vivimus & movemur, ille est nobis secundùm substantiam intimè præsens.* Resp. (I.) hoc non est necessum, ut ipsa Major secundùm totidem verba præmittatur. Audi similiter: Ubi ista propositio habetur in Scriptis SS. *Quicumq; in SS. Divina Trinitate se habent ut mittens & missus, illi sunt realiter distinctæ personæ Trinitatis: Atqui Deus Pater & Deus Filius in SS. Trinitate se habent ut mittens & missus; Er. &c. ubi, inquam, in Sacris, est Major propositio? & tamen est optima atq; valentissima propositio in optimo & valentissimo Syllogismo.* Quamvis ergò propositio illa non sit apud Aristotelem actu & formaliter, vel secundùm totidem verba, tamen est *δυναμει* seu virtute, latens ibi, ut inde extrahatur & ad probationem adhibeatur.

§. 16. Quòd verò propositio illa sit non Aristotelis

solum, verum quoque aliorum Gentilium, ut operose probemus, opus non habemus. Loquitur pro nobis, & ostendit id Scriptura S. d. *Actor. 17. v. 27. Ut quærerent Deum, inquit Apostolus, si forte palpent eum; ut inveniant, quamvis non longè sit ab unoquoque nostrum. Per ipsum enim vivimus, movemur & sumus, sicut & quidam vestrorum Poëtarum dixerunt. N. B. Nam hujus progenies etiam sumus. N. B. Audi!* ad Poëtas Gentiles provocat Apostolus in hoc negotio, naturalem Dei notitiam concernente, quod etiam fecit *Roman. cap. 1. v. 19. seq.* Quod ipsum negotium, quàm optimè declarant & explicant ea, quæ de ipso proponit D. Jac. in *Vernunftspiegel l. 1. ca. 57. p. 509.* quando scribit: *Es ist zu mercken/ wie wir auch droben ange- deutet/ daß der Apostel an diesem Ort mit den Heyden zu thun hat/ und wil dieselbe überweisen/ daß Gott der Herr an ihren Götzen und Götzendienst kein Gefallen habe/ und daß sie damit den wahren Gott nicht ehren/ sondern zum höchsten verunehren. Damit er nun solches desto bequemer und süßlicher verrichte/ weil sie/ die Heyden/ in der Bibel unerfahren/ führet er sie auff ihre eigene natürliche Wissenschaft un- Bekentnis. Zeiget demnach auff ihre gemeine sententias, welche der Poët Virgilius Eclog. 3. also gegeben: Jo- vis omnia plena:*

Und Lucretius --- Deum namq; ire per omnes  
Terrasque tractusque maris,

Item Homerus: *Ἰδοὺ γὰρ θεοὶ εἰσὶ καὶ ἡμῖν.*

Dii autem adsunt & nobis.

§. 17. Addit alios Autores; Lucretium, Homerum, Comicum Græcum, Lucilium: Aristotelem; Virgilium

ali-

aliquoties allegat, & plures ejus Veticulos in medium citat, qui *ibid.* videantur. Et pergit: Woraus denn folgt/ daß auch nach dem Verständnis der Heyden prima causa oder Gott der Herr nicht von aussen die Creaturen anschauet / sondern durch und durch bey denselben sey/ und dieselbe regiere. Und hat solches den Heyden der Apostel am angezogenen Ort erinnern wollen / wie auch in dem bald nachfolgenden/ so eben dasselbe in sich hat aus des Arati proæmio genommen/ welcher locus ganz also lautet:

Μεσαὶ δὲ διὸς πασαι μὲν ἀγριαὶ  
 πασαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραὶ, μεσῆ δὲ θάλασσα,  
 καὶ λιμῆες· πάντα δὲ διὸς κεχρήμεθα πάντες.  
 Ἐγὰρ καὶ γένε' ἐς μὲν: ὃδ' ἤπι' ἀνθρώποισιν.

----- Omnes via Jovæ plenæ sunt.

Ac omnes hominum frequentia, plenum etiam mare est,

Et portus. Ubique Jove indigemus omnes.

Hujus enim genus sumus: ipse verò hominibus misericors est.

§. 18. Et inferitis hoc ipso *lib. 1. ca. 68. p. 655.* repetit, & ita proponit? Anfänglich nehme der Christliche Leser in acht/ daß es bey den weisen Heyden warhafftig erkand sey worden/ daß Gott allen Dingen gegenwärtig sey. Denn solches hat gelehrt Mercurius in Asclep. und Orpheus in Saturni hymno mit diesen Worten:

Ὅς ταίνας καὶ πάντα μέρη κόσμου γένε' ἄρχει.

Pythagoras hat wegen derselbigen Ursach Gott genennet ψίχωσην ἔπαντις: animationem universi.

Und

Und Virgilius sagt lib. 4. Georg.

----- Deum namque ire per omnes

Terrasq; tractusq; maris, cœlumq; profundum:

Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,

Quemque sibi tenues nascentem arcescere vites.

Und wiederum lib 6. Æneid.

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus

Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Und Manlius lib. 2. Astronomic<sup>ũ</sup>:

---- Spiritus unus

Per totas habitat partes, atque irrigat orbem.

Und Art. Epictetus lib. 1. cap. 14. spricht: Deus ubique est, omnia intuetur, & in die, & in nocte.

Eben dasselbige hat auch anzeigen wollen Heraclitus, welcher / wie Aristoteles lib. 1. de partibus animal. cap. 5. erzehlet / da er im Winter in eines Beckers Häußlein gegangen war / und darinnen etwas bey dem Feuer verzog / und sich wärmete / andere aber standen / und wolten in solch gering Häußlein nicht gehen / saget zu ihnen / gehet immer herein / denn es seyn auch an diesem Ort die Götter. Dasselbe haben auch gehalten und statuirt, Philolaus, Architas, Parmenides, Anaxagoras, Seneca, und viel andere mehr. Ja es hat recht gesagt der Poët:

Præsentemque refert quælibet herba Deum.

Alls Kraut in Gärten / auff dem Feld /

Gotts Gegenwart vor Augen stelt.

Ja der Apostel Paulus selbst Actor. 17. hat seine Heydnische Zuhörer und Böckendiener / auff ihrer Weisen Erkenntnis und Bekenntnis gewiesen / wenn er

V. 28.

v. 28. spricht: **G**ott ist nicht fern von einem ieglichen unter uns: Denn in ihm leben/ weben und sind wir. Und solches/ als notum & concessum, wie auch des Arati Spruch so bald drauff folget/ supponirt.

Wie nun solches gewiß/ und die omnipræsentia. Dei von den verständigen Heyden warhafftig erkand worden / also hat auch kein rechtschaffener Lutherischer Lehrer jemals geleugnet/ daß dieser Punct nicht solte zum natürlichen Erkenntnis Gottes gehören. N.B. Ja der Herr Doct. Mylius, damit er solches bestetige in comment. in Epist. ad Rom. sub titulo de libro Naturæ, braucht er ist angezogenen Vers, und spricht: Si pulcherrimum hoc mundi universa domicilium, cœli terræque machinam intueamur, nulli non vivum illa edit de Deo testimonium, Præsentemque refert quælibet herba Deum, ut est venustè à Poëta proditum, &c. Hastenus D. Jac. Martini.

§. 18. Atque sic tandem fit clarum & manifestum, quòd totum hoc nostrum argumentum supra in medium allatum & Scripturæ S. sit, sit & Aristotelis. Etenim idem cum & sub eodem medio termino apud Apostolum habetur, & apud Aristotelem. Apostolus ait: *d. l. ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν καὶ κινῶμεθα*, &c. Aristoteles I. in l. 7. Eudem. ca. 14. ait: *ὡπερ ἐν τῷ ὅλῳ θεὸς καὶ πᾶν ἐκείνῳ. κινεῖ γὰρ πᾶς πάντα τὸ ἐν ἡμῖν θεῖον*. h. e. *quemadmodū in Universo est Deus, & vicissim cuncta in illo; moventur enim cuncta ab inexistente in nobis Numine*. Nonne hæc prodit argumentatio Aristotelica? in quo tanquam in Supremo Numine cuncta, quæ à Deo sunt, moventur, ille omnibus rebus secundum substantiam suam intimè est præsens. Atqui in Deo, tanquam in supremo Numine, cuncta, quæ ab ipso

I

sunt,

sunt, moventur. Er. Deus omnibus rebus secundum suam substantiam intimè præsens est. Huic jam II. acciunt ista (1.) ex *l. 7. Physic. c. 1. t. 1.* & (2.) ex *l. de Mund. ca. 7.* quæ loca idem argumentum continent & exhibent; & quamvis in illis quædam voces vel sermonis particulæ absint aut reticeantur, latet tamen vis consequentiæ, quæ admodum est conspicua, nimirum: *In Deo vivimus. l. de Mund. ca. 7. in Deo movemur, l. 7. Physic. c. 1.* Er. Deus nobis est intimè præsens.

§. 19. Et annon quoque tandem h. m. licet argumentari? Quò nomine Gentiles à S. Paulo laudantur & commendantur, illud ipsis detrahendum non est. Sed Gentiles hoc nomine laudantur & commendantur, quòd consentienter Scripturis Sacris de Omnipræsentia Dei tradiderunt. Er. hæc laus ipsis detrahenda & deneganda nō est. Et si hæc laus, hæc commendatio alios manet Ethnicos, cur non tribuenda quoque Aristoteli, Philosophorum Ethnicorum principi, clarè satis id tradenti? Quæ ergo urgemur ad probandum, cum probatio habeatur in Sacris Literis, *Actor. cap. 17. v. 28?* Ubi Ethnicorum dicta respiciuntur, quæ omninò quærenda sunt, aliisque ostendenda.

§. 20. Et annon tandem foret argumentum aut probatio Aristotelica, si quis (1.) ita argumentetur? Ubicunque est Deus, ibi est eâ proprietate, quæ ei est est nativa & essentialis, actum præsentia Divinæ respiciens & attinens. Sed Deus Aristoteli (vel juxta Aristotelem) est in Cælo & in Terra, in aquis, in hoc illove saxo, in homine, in equo, in rana, in musca, omnibusque cunctis rebus; Er. Deus Aristoteli est in omnibus rebus præsens eâ  
pro-



proprietate, quæ ei est essentialis, actum Divinæ præsentia respiciens attinensque. Er. Deus juxta Aristotelem est omnibus rebus præsens secundum immensitatem suam, quæ (1.) Deo est nativa & essentialis, æquè ac infinitas, summa & immoda simplicitas &c. (2.) actum Divinæ præsentia directè & per se attinens atque respiciens, imò ita loquendo, ingrediens. Quid hîc aliud habes, quàm infinitam & immensam Dei præsentiam, verbô: DEI Omnipræsentiam, Aristoteli æquè, ac alia idiomata naturaliter cognita, notam?

§. 21. Si (2.) quis ita colligat ex communi hypothesi: Deus ubicunq̃ue est, etiam juxta Aristotelem, ibi est totâ suâ substantiâ, siquidem cunctæ res cunctæque substantia etiam creatæ, eæque totales & completæ, ubicunq̃ue sunt, ibi totæ sunt, ubi suo juxta naturalem sibi que convenientem adessendi modum, coëxistentes, *vel* circumscriptivè, uti est in corporibus, *vel* definitivè, uti est in Angelis, *vel* repletivè, uti est in Deo, infinitæ ac immensæ Essentia Ente. Et qui hoc de Deo non admittit, ille ipsum deterioris conditionis facit entibus à se creatis, quod est magnum absurdum, & dictu indignum. Indignum dictu, alia entia habere naturales suos vel sibi juxta naturæ suæ conditionem competentes aut convenientes modos adessendi, & Deum, Ens summum, Ens perfectissimum non habere! Et si non est Dei attributum Omnipræsentia, dent alium simplicissimæ Divinæ Essentia cōvenientem præsentia modum, Omnipræsentiam in vel de ipso qui negant. Nec dent solùm, verùm monstrent & probent firmiter. Non verò possunt, certè non possunt. In Aristotelis igitur sententia cum Scri-

ptura S. consentiente, ceu haftenus ostensum, nobiscum acquiescant.

§. 22. Brevis dictorum ἀνακεφαλαίωσις καὶ ἐξήγησις phraseos Aristotelicæ, pro explicando hoc negotio, & mente Philosophi aperienda atque exponenda. Duobus potissimum in hoc opere describendo verbis utitur Aristoteles, (1.) verbò διήκειν, & (2.) verbò διικνεῖσθαι, quod est Latinis pertingere, pervadere, permeare, penetrare, &c. Item, replere, permeando replere, Ἐπὶ πάντων διικνεῖσθαι per Universum agere vel agitare se, quomodo e. g. anima, dum in toto est corpore tota, illud movet agitque, totum corpus permeando, pervadendo, movendo, fovendoque, &c. Unde Pythagoras hac allusione usus, Deo ψυχὴν καὶ ψύχωσιν παντὸς animationem Universi tribuit, in J. Martini *Vernunftsp. cap. sup. cit. pag. 655*. Et Manlius ait: Spiritus intus agit totamque infusa per artus Mens agit atque movet, &c. Ubi voce *Spiritus & Mentis* Deum indigitat, ex Lactantio *de falsa religione, l. 1. ca. 2. Vernunftsp. l. d. p. 655*. Et Virgilius in *4. Georg.* locò istarum vocum *Spiritus & Mens* ponit vocem *Deus*, sic: *Deum namque ire per omnes terras, tractusque Maris, Cælumque profundum &c.* ad indicandum, quòd Deus intus (in omnibus creaturis) sit, und seine Creaturen durch und durch movire und regiere. Quomodo etiam Seneca ad Lucilium ait: *Propè Deus est, secum intus est. Ita dico, Lucili; Sacer inter nos Spiritus sedet, bonorum malorumque nostrorum observator & custos, &c.* Quæ tandem exponunt, quomodo Deus sit in nobis cunctisque creaturis, nempe ut Spiritus omnia (intima & externa) pervadens, replens, fovens, movens, regens, perficiens, conservans, &c. Verbò: *Deus juxta Aristotelem est*

*omnis*

omnia in omnibus, utpote per quem omnia, ex lib. de Mund. ca. 6. qui principium, finem & media rerum omnium tenet, d. l. de Mund. ca. 7. fin. qui, si vitam naturalem spectemus, nobis est vita, ibid. si vitam moralem, nobis est lex, d. l. ca. 6. Et, uti Arist. ibid. habet, quod in navi gubernator est, quod in curru agitator, quod in choro præceptor, quod denique lex in civitate, & Dux in exercitu, hoc Deus est in Mundo, nimirum Servator & Moderator rerum omnium. Verbô: Omnia.

## PUNCTUM XV.

## XV. Deus est magnus.

§. 1. Hoc Dei *Μεγέτων* celebre est in Scripturis, & multis in locis expressum invenitur, imò etiam inde per consequentiam, ex operibus nimirum Dei, deducitur. Prænotandum autem, non de magnitudine quantitatis, quam supra de Deo removimus, sed de magnitudine essentia, perfectionis, atque potentia intelligendum esse hoc Dei *Μεγέτων*. Ita edocti sumus ab Augustino tom. III. lib. VI. de Trinitat. c. 7. ubi sic: Deus multipliciter quidem dicitur magnus, bonus, sapiens, beatus, verus & quicquid aliud, sed eadem magnitudo ejus, quæ sapientia, & eadem bonitas quæ sapientia, & non est ibi aliud, beatum esse, & aliud magnum, aut sapientem, aut verum esse. Et in seq. cap. 8. in his, quæ non mole magna sunt, idem est majus esse, quod melius esse. Et in 15. de Trin. c. 5. ubi docetur, idem in Deo esse quò est, & quod est, dicens: Non enim percipit scientiâ, quâ fit sapiens, sed ipse sapientia est.

§. 2. Deum verò non mole magnum. h. e. non quantum, vel, quantitate præditum esse, Philosophus noster expressâ docet literâ, & indigitat Sacra Pagina. Ita extat l. 12. Metaph. c. 7. t. 41. *δίδουκται ὅτι, καὶ ὅτι μέγας ὁ θεὸς ἐνδέχεται*

κα ἔχειν πύττω πὺ εἰσία, ἀλλὰ ἀμερῆς καὶ ἀδιαίρετος ἐστὶ. h. e.  
 Ostensum autem est, quòd nec ullam magnitudinem possibile  
 est hanc substantiam habere, verùm impartibilis indivisibilisq̃  
 ea est. Prodit inde Syllogismus hic: quæcunq̃ substantia  
 est partium expers (ἀμερῆς) & indivisibilis (ἀδιαίρετος) illa  
 etiam magnitudinis expers est. Sed Deus est partium ex-  
 pers & indivisibilis. Er. Deus quoq̃ue est magnitudinis  
 seu quantitatis expers.

§. 3. Idem Scriptura S. indigitat, quando Deum Spi-  
 ritum esse docet. Inde enim habemus sequentia; (1.)  
 Deum esse incorporeum, (2.) Deum esse magnitudinis  
 (scil. veræ & physicæ) expertem; (3.) impartibilem, adeò-  
 que (4.) compositionis physicæ expertem. Sit syllogis-  
 mus; Nulla substantia spiritualis est magnitudinis physi-  
 cæ capax. Deus est substantia spiritualis. Er. &c.

§. 4. Quando verò Scriptura S. Deum *magnum* di-  
 cit, impropriè id est accipiendum, de *magnitudine essen-  
 tiæ, perfectionis & virtutis*. Et de tali magnitudine intelli-  
 genda dicta *Psal. 48. v. 2. Psal. 77, v. 15. Psal. 145. v. 3. Psal.  
 147. v. 5.* מַגְּוֹל *Magnus Dominus; Magnus Deus*. Præclarum  
 est dictum in *Judith c. 16. v. 10.* quod omninò explicatio-  
 nem hujus rei continet: *Adonai Domine, magnus es tu, &  
 præclarus in virtute tuâ, & quem superare nemo potest.*

§. 5. Quantum ad Aristot. verò, quamvis hoc Dei  
 prædicatum in ipsius Libris non legatur, tamen alia talia  
 asserta in *Lib. de Mundo* inveniuntur, ex quibus probare id  
 quàm optimè, quàm validissimè queamus. Et quidem  
 ex operibus, ex quibus Deus, in se invisibilis, cernitur &  
 cognoscitur, *d. l. cap. 6.* tale jure effeceris argumentum:  
 Cujus opera magna sunt, illum ipsum magnum esse oportet.

tet.

tet. Atqui (juxta Aristot.) opera Dei magna sunt. Er. &c. Vel h. m. Quicumque magna edit opera, illum magnum Dominum esse oportet, &c.

§. 6. Quòd verò Deus sit infinitè & immensè magnus, ex aliis ejus attributis desumendum est, nempe: quicumque est magnus ita, ut omnis quantitatis & extensionis sit expers, indivisibiliterque existat, omnia pervadens & penetrans, ille est infinitè & immensè magnus. Sed Deus ita est magnus, ut inextensè & indivisibiliter existat, omniaque pervadat & penetret. Er. Deus est infinitè & immensè magnus. Estque notatu per dignum, quòd magnitudo, ita tributa Deo, tam juxta Aristotelem quam SS. Literas, ut ne quidem ab aliis Dei attributis reapse differat. Uti Augustinus l. 6. de Trinit. ca. 7. pulchrè.

## PUNCTUM XVI.

## XVI. Deus est excelsus &amp; altissimus.

§. 1. Tàm propter potentiam, tum propter locum habitationis ista Deo in Sacris paginis tribuuntur prædicata, ceu videre est Genes. 14. v. 19. & 20. ubi: *benedictus Deus עליון altissimus*, &c. Et Esaia 57. v. 15. sic dixit *אלהים עליון excelsus & sublimis, habitans aternitatem, & sanctum uomen ejus מרום in excelso & sancto habitans*. Item Dan. 3. v. 32. *Signa & mirabilia fecit mecum אלהים עליון Deus excelsus*. In Psalmis præcipuè Davidicis quàm sæpissimè hoc Dei epitheton invenitur, ceu diligentibus Scripturarum SS. Lectoribus notum est, ut operosæ allegationi supersedeamus, & ad Aristotelem accedamus.

§. 2. Is, uti solet quidem, elegantissimè hanc rem proponit in lib. de Mund. ca. 6. ajens: *την μὲν ἐν ἀνωτάτῳ καὶ πρώτῳ*

πρώτην ἔδραν αὐτὸς ἔλαχεν, h. e. *summam igitur & primam sedem sortitus est*, scilicet Deus, quem modò genitorem & servatorem rerum nuncuparat. Et post aliqua ante med. d. cap. σεμνότερον δὲ καὶ πρεπωδέσερον, αὐτὸν μὲν ἑπὶ τῆς ἀναπάτω χώρας ἰδρύσθαι, τὴν δὲ δύναμιν διὰ τὸ σὺμπαντὸν κόσμῳ διήκουν. h. e. *augustius id decentiusq; existimandum est, Deum in summo loco ita esse collocatum, ut tamen Numinis ejus vis per universum mundum pertingat.* Et in seqq. post med. cap. πλὴν ἐπι μέσῳ ὢν ἀλλ' ἄνω, καὶ καθαρῶ χῶρῳ, non in medio ille loco, sed in excelsis situs est, purus in puro loco. Jungatur l. 1. de cæl. c. 3. t. 22. πάντες τὸν ἀνωπάτω τῷ θεῷ τόπον ἀποδιδόασιν, h. e. *omnes Deo supremum locum tribuerunt.* Hoc ipso autē, quo supremum locum tenet Deus, excelsus est & altissimus,

## PUNCTUM XVII.

## XVII. Deus est, vel habitat in Cælis.


§. 1. Propositio hæc tam in Scripturis invenitur, quàm apud Aristotelem. *Psal. 2. v. 4. יְשִׁיב בַּשָּׁמַיִם* habitans in cælis ridebit. Et *Psal. 23. v. 1. ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælis, יְשִׁיב בַּשָּׁמַיִם*. In oratione Dominica dicimus: *πάτερ ἡμῶν, ὁ τοῖς ἑρανοῖς, Pater noster, qui es in cælis, Matth. 6. v. 9. Luc. 11. v. 2.* Alia Scripturæ loca mitto, & Ei Aristotelem ὁμολογητὸν reddo.

§. 2. Poterat quidem consensus ex jam dictis cognosci; addimus tamen *lib. de Mund. ca. 6. post init. κρείττον ἐν ὑπολαβεῖν ὃ καὶ πρέπον ἐστὶ, καὶ θεῶν μάλιστα ἀρμόζον, ὡς ἡ ἐν ἑρανοῖς δύναμις ἰδρυμένη, καὶ τοῖς πλείστον ἀφρηκῶσιν, &c. h. e. Proinde id præstabilius censemus esse, Deoq; tum decentius, tum magis consentaneum, ita de eo opinari, ut dicamus, potestatem illam in cælo sedes suas habentem, incolumitatis causam rebus universis præstare, iis etiam, quæ longius ab ea remota sunt.* Et in seqq. cum dixerat Philosophus, Deum in excelsis & puro loco situm esse, addit, quem locum tum Uranon, tum Olympum dicimus.

Alia plura vid. ibid.

Disput.

Lit. Graal. B. 2022



Lit  
4